F. LEONARD RE.

# PHILOSOPHISTÆ

SEU

EXCERPTA

PAUCA EX MULTIS

LIBRIS,

THESIBUS,

DICTATIS

THEOLOGICIS,

IN QUIBUS

SCANDALOSA ET ERRONEA

PHILOSOPHISMI

DOCTRINA

NUPER DAMNATA

Per hos centum & amplius annos à Theologis
Societatis Jesu tradita, ac per omnes
ferè Europæ Provincias longè latèque
diſſeminata.

Case
F
39
.326
1692b

THE NEWBERRY
LIBRARY

48-1127

# PRÆFATIO
## AD
## LECTOREM.

Jam pridem decretum fuerat in lucem edere manifeſta argumenta progreſsûs, quem à multo tempore fecerat in Societate Philoſophiſmus ; verùm ne velut unguis in vulnere cogerer infandum renovare dolorem, præſertim cùm virus extinctum videretur, & abeſſe neceſſitas, placuit negligere propoſitum, ſi per laborantes ex Philoſophiſmo liceret. Sed non licuit : Ad aliud coëgerunt tam crebræ, quàm atroces querelæ, quibus à Denuntiatore tot calumniis, quot Denuntiationibus læſam eſſe Societatem criminantur & Scriptis & Theſibus, & omnium penè linguarum Libellis. Specimen enim præbet Liber latinus cui Titulus, *Apologia pro Patribus Jeſuitis Belgis, præſertim Profeſſoribus S. Theologiæ Lovanienſibus de hæreſi poſtulatis in materia De Peccato Philoſophico adversùs Sycophantam Gallum Janſeniani veneni ſatorem.* Huic à Nicolao Du Bois hæc Cenſura præfigitur : *Apologia pro*

PP.

*PP. Jeſuitis Belgis, in qua mala fides, doli, fraudes Sycophantæ Galli deteguntur, lucem meritò videbit: ut ſi quæ fuit apud imperitos offenſa, in ipſius criminatoris caput, qui ſcandali omnis author fuit, redundet.*

His ſuccinit Diatriba Theologica De peccato Philoſophico quæ Leodii prodiit anno 1690. *Dico 4.* inquit Autor pag. ult. *per prohibitionem hujus Theſis* (Divionenſis) *non tangi in aliquo doctrinam Theologorum Societatis Jeſu circa peccatum Philoſophicum. Si enim Profeſſorem Divionenſem exceperis, cujus tamen rectiſſima mens erat, ut conſtat ex Declaratione publica quam edidit ſuæ ſententiæ, nemo alius ex eo Ordine Propoſitionem damnatam tradidiſſe noſcitur . . . unde conſtat quàm enormem contra Theologos Societatis Jeſu Denuntiator Gallicus in Libello de quo ſupra calumniam ſtruxerit* &c.

Accedit Theſis Antverpienſis ſub hoc titulo edita eodem anno: *Theologia cum appendice De peccato Philoſophico quam Præſide R.P. Alexandro Maes Soc. Jeſu Sacræ Theologiæ Profeſsore defendet &c.* Sic ille Appendicis §. VI. n. I. *Si verum foret id quod locis variis confidenter pronuntiat Denuntiator, ſcilicet dari plurima, eaque graviſſima peccata etiam ab ipſis Chriſtianis commiſſa abſque omni Dei notitia, neceſſum foret hoc titulo eorumdem peccatorum malitiam non mediocriter extenuare. Licet enim iſtiuſmodi peccatis pœnam ſenſus æternam debitam*

*eſſe*

*eſſe contendat, negare tamen non poteſt quin illa peccati malitia notabiliter augeatur ex eo quod committantur contra Perſonam dignitatis infinitæ cognitam: hanc autem malitiam paſſim cenſet abeſſe.* PROFERAT IPSE MOLINISTAM VEL UNUM EX CUJUS ORE VEL CALAMO *iſtiuſmodi laxitas unquam excidit, & fatebimur quod apud Jeſuitas invenerit aliquid quod meritò redarguatur & Caſtigetur ab omnibus, tanquam valdè noxium & laxum in Theologia morali.* Et infra n 3. *Neque Denuntiator invenit aut inveniet unquam ullum, ſaltem ex illis quorum doctrinam denuntiandam parum cautè ſuſcepit, qui dixerit vel docuerit dari peccata graviſſima purè Philoſophica: per me licet, ſcrutetur omnia* IMPRESSA VOLUMINA, THESES, CODICES MANUSCRIPTOS, *ſi quidem ex horum copiam aliquam habeat, ut jactat: ſi ſolus non ſufficiat, ſuas etiam adhibeat Simias, ſi Jeſuitam invenerint nullum quem ex verò hîc accuſare poſſint: dicam modeſtè, Defecerunt ſcrutantes ſcrutinio.*

Aliud Scriptum gallicum prodiit hoc titulo in latinum hìc verſo. *Janſeniſta Denuntiator novæ hæreſis convictus de calumnia & falſificatione.*

Aliud inſuper de eadem materia ſcriptum flandricum hoc titulo: *Prima demonſtratio calumniarum, quibus traducuntur Jeſuitæ in Libellis ſparſis per Hollandiam.* Additur in fronte

fronte: Inſurrexerunt in me teſtes iniqui, & mentita eſt iniquitas ſibi. Pſal. 26. Scatent hujuſmodi criminationibus tum Theſes Jeſuitarum quàm plurimæ poſt Denuntiationes, imò & poſt Damnationem Philoſophiſmi editæ, tum Epiſtolæ, quibus titulus: *Sentiment des Jeſuites touchant le péché Philoſophique.*

His lacrymis & queremoniis Philoſophiſmo quidem parentatur, ſed iiſdem, quod ferendum non eſt, nimis crudeliter fama Denuntiatoris & zelus eorum, qui Philoſophiſmum interfecêre, proſcinditur. Damus ergo illuſtrem à ſæculo in Societate Philoſophiſtarum ſeriem; neque tamen multo labore, aut curioſâ in eorum Libris, Scriptis, aut Theſibus ſcrutatione conquiſitam. Ultrò quaſi, quæ hìc eduntur, ſe obtulerunt, ſive pàlam ab Authoribus proclamata, ſive ab amicis etiam non rogatis tranſmiſſa. Quod argumento eſt plura ſimilia facilè inveniri poſſe, ſi quærantur majori labore: cui equidem parco, ſive quia non ægrè mihi id Societas ignoſcet: ſive quia exigua hæc ſcintilla ſat lucis afferet detegendis vanis conatibus, quibus eorum Apologiſtæ adhuc ſingultire & palpitare videntur, dum fruſtrà ſtudent Scriptores Profeſſoreſque ſuos è Philoſophiſmo explicare, alios per *tantiſper*, alios per caſum Metaphyſicum,

alios per hypotheſim, alios per alia, quæ in magnis anguſtiis undequaque circumſpiciunt, effugia.

Verùm quiſquis Philoſophiſmum non deſerit, non difficile plurima, quibus illa omnia præcludantur, in his ſpeciminibus inveniet. Manifeſtè inſuper videbit, in quantis umbris tenebriſque verſetur Apologia pro Jeſuitis Belgis, dum in præfatione animosè de Philoſophiſmo aſſerit: *Non ignorant tempeſtatum hujuſmodi authores adverſus umbram ſeſe digladiari, aut ſi quid eſt umbrâ vanius.* Patebit denique quam ſine calumniâ, & quam magno moralis univerſæ & Eccleſiæ bono Philoſophiſmum ſucceſſor Petri damnaverit. Errorem quem ipſa Societas in ſuis Epiſtolis *Sentiment des Jeſuites* vocat: (*a*) HÆRESIM ET IMPIETATEM EXECRANDAM, (*b*) HÆRESIM ABOMINABILEM, (*c*) HORRIBILEM DOCTRINAM.

*a* 1. *Lettre.*
*b* 2. *Lettre.*
*c* 2. *Lettre.*

# INDEX CHRONOLOGICUS PHILOSOPHISTARUM SOCIETATIS JESU

Quorum hìc excerpuntur Libri, Theſes, Dictata Theologica.

---

## I. PARS

### LIBRI EXCUSI.


| | | |
|---|---|---|
| 1633. | *Joannes De Lugo.* | *Pag.* 1. |
| 1644. | *Rodericus De Arriaga.* | 3. |
| 1652. | *Bernardus de Alderette.* | 7. |
| 1661. | *Georgius De Rhodes.* | *Ibid.* |
| 1663. | *Joannes Martinon.* | 8. |
| 1664. | *Thomas Comptonus Carleton.* | *Ibid.* |
| 1668. | *Petrus De Bugis.* | 13. |
| 1679. | *Jacobus Platelius.* | *Ibid.* |
| 1690. | *Leodienſes Jeſuitæ Angli.* | *Ibid.* |


## II. PARS

### THESES DEFENSÆ.


| | | |
|---|---|---|
| 1640. | *Collegium Lovanienſe ſub P. Ignatio Derkennis.* | 20. |

1643. *Idem ſub P. Ludovico Schildere.* 22.
1668. *Idem ſub P. Ægidio Eſtrix.* Ibid.
1670. *Idem ſub P. Antonio à Burgundia.* Ibid.
1671. *Idem ſub P. Ignatio Jonge.* 23.
1675. *Collegium Antverpienſe. Sub P. Philippo De Hornes* Ibid.
1680. *Coll. Lovanienſe ſub P. Polenter* 24.
1680. *Idem ſub P. Philippo De Vos.* Ibid.
1681. *Idem* Ibid.
1682. *Idem*
1683. *Idem*
1685. *Idem ſub P. Joſepho De Reux.* 25.
1686. *Colleg. Divionenſe ſub P. Franciſco Munier.* Ibid.
1686. *Colleg. Lovanienſe ſub P. Hellinx.* Ibid.
1686. *Idem ſub P. Joſepho De Reux.* 26.
1686. *Colleg. Lugdunenſe SS. Trinitatis Societatis Jeſu.* Ibid.
1686. *Idem in Monaſterio Cluniacenſi.* Ibid.
1687. *Collegium Lovanienſe ſub P. Iſaaco De Bruyn.* Ibid.
1688. *Idem ſub eodem.* 27.
1688. *Colleg. Claromonferrandenſe ſub P. Pugean.* 28.
1689. *Collegium Lovanienſe ſub P. Joſepho De Reux.* Ibid.
1690. *Collegium Leodienſe ſub P. Roberto Mansfeldio.* 29.
1691. *Trevirenſes Jeſuitæ in Abbatia S. Maximin ſub P. Potier* 30.

III. PARS

## III. PARS

# DICTATA THEOLOGICA.

1585. *Colleg. Lovanienſe S.J. Sub P. Hamelio.* 32.

Iſtud ex Hamelii dictatis, omnium antiquiſſimis, excerptum, debitum hìc locum occupat, cum in Libri contextu per Typographi errorem partem ſecundam malè claudat.

1660. *Collegium Remenſe ſub P. Bechefer.* 36.

1670. *Idem ſub P. Beguin.* 41.

1671. *Coll. Dolanum in Comitatu Burgundiæ ſub P. Regis.* 46.

1651. *Colleg. Remenſe ſub P. Audry.* 51.

1682. *Coll. Camberienſe ſub P. Roſe.* 53.

A. incerto *Idem ſub P. Morié vel ſub P. Pernel.* 60.

1684. *Collegium Trevirenſe ſub P. Contzen.* 61.

1686. *Collegium Lugdunenſe ſub P. De Saint Ligier.* 63.

1686. *Collegium Camberienſe.* 67.

1686. *Collegium Divionenſe.* 74.

1687. *Collegium Moguntinum ſub P. Haan.* 83.

1689. *Collegium Maſſilienſe ſub P. Beon.* 88.

1690. *Collegium Camberienſe.* 89.

1690. *Collegium Pictavienſe ſub P. Du Bois* 91.

1691. *Collegium Maſſilienſe ſub P. Beon.* 92.

1691. *Ejuſdem P. Beon confeſſio ac Retractatio fraudulenta.* 94.

Incerto Anno. *Collegium Lemovicenſe.* 96.

IN-

# INDEX ALTER PHILOSOPHISTARUM

## IN QUO SOLIUS TEMPORIS RATIONE HABITA PHILOSOPHISMI TRADITIO FACILIUS CONSPICITUR.


Anno.

1585. vel 86. P. *Hamelius, in Dictatis Theolog.* p. 32.

1633. P. *Ioannes De Lugo in Tract. de Incarnat.* p. 1.

1640. P. *Ignatius Derkennis in Theſibus publicis* 20.

1643. P. *Ludovicus Schildere in Theſib. publ.* 22.

1644. P. *Rodericus de Arriaga in Libris editis* 3.

1652. P. *Bernardus de Alderette in lib. edit.* 7.

1660. P *Bechefer in dictatis Theologicis* 36.

1661. P. *Georgius de Rhodes in Lib. edit.* 7.

1663. P. *Ioannes Martinon in Lib. edit.* 8.

1664. P. *Thomas Compton Carleton in Lib. edit.* 8.

1668. P. *Petrus de Bugis in Libr. edit.* 13.

1668. P. *Ægidius Eſtrix in Theſibus publ.* 22.

1670. P. *Antonius à Burgundia in Theſ. publ.* 22.

1670. P. *Beguin in Dictatis Theolog.* 41.

1671. P. *Ignatius Ionghe in Theſib. publ.* 23.

1671. P. *Regis in Dictatis Theolog.* 46.

1675. P. *Philippus De Hornes in Theſib. publ.* 23.

1677. P. *Audry in Dictatis Theologicis.* 51.

1679. P. *Iacobus Platelius in Lib. edit.* 13.

1680. P. *Polenter in Theſib. pub.* 24.


1680

1680. *P. Philippus De Vos in Theſib. pub.* 24.
1681. —— *Idem in Theſib. publ.* 24
1682. —— *Idem in Theſib. publ.* 24.
1682. *P. Roſe in Dictatis publ.* 53.
1683. *P. Philippus De Vos in Theſ. publ.* 24.
1684. *P. Contzen in Dictatis Theolog.* 61.
1685. *P. Ioſephus de Reu in Theſib. publ.* 25.
1686. *P. De Saint-Ligier in Dictat. Theol.* 63.
1686. *P. Franciſcus Munier in Theſib. publ.* 25.
1686. —— *Idem in dictat. Theolog.* 74.
1686. *Profeſſor Camberienſis ignotus.* 67.
1686. *P. Hellinx in Theſib. publ.* 25.
1686. *P. Ioſephus De Reux in Theſib. publ.* 26.
1686. *Profeſſor Lugdunenſis Collegii SS. Trinitatis Soc. Ieſu in Theſib. publ.* 26.
1686. —— *Idem in Monaſterio Cluniacenſi in Theſib. publ.* 26.
1687. *P. Iſaacus De Bruyn in Theſib. publ.* 26.
1687. *P. Haan in Dictatis Theolog.* 83.
1688. *P. Iſaacus De Bruyn in Theſ. publ.* 27.
1688. P. *Pugean in Theſib. pub.* 28.
1689. P. *Ioſephus de Reux in Theſ. publ.* 28.
1689. P. *Surre in Dictatis Theol.* 86.
1689 P. *Beon in Dictatis Theolog.* 88.
1690. *Leodienſes Ieſuitæ Angli in Diatriba de peccato* Philoſophico. 13
1690. P. *Robertus Mansfeldius in Theſ. pub.* 29
1690. P*rofeſſor Camberienſis S. I. in Dictatis Theolog.* 89.
1690. P. *Du Bois in Dictatis Theolog.* 91.
1691. P. *Beon. in Dictatis Theolog.* 92.
Incertis P*rofeſſor Camberienſis in Dictat. Theol.* 60.
Annis. P*rofeſſor Lemovicenſis in Dictat. Theol.* 96.

# INDEX
## ALPHABETICUS
## Aliquot Opinionum quæ inter alias obſervatione dignæ in hoc Libello.

A


ACTUS HUMANUS *nunquam eſt malus ſublatâ cognitione malitiæ, nec unquàm offenſa Dei ſi non cognoſcatur eſſe offenſa Dei.* *paginâ* 78.

ADVERTENTIA *plena malitiæ requiritur ad peccatum mortale p.* 9. *& alibi paſſim. Eam ſemper habent Fideles.* 11. *Eam ſupponunt Confeſſarii.* 10. *Etiam infideles paſſim eâ non carent.* 10. *Neceſſe, eſt ut actu cogitet quis ſe advertere debere malitiam ut malitia dici poſſit voluntaria.* 58. 90.

ADULTERIUM *Philoſophicum. p.* 2. *& alibi. Minùs punitur quàm mendacium Theologicum.* 58. *Adulterium fœminæ non advertentis ſe marito ſuo inferre injuriam, non eſt grave. p.* 16.

D

DEUS *Caput & Judex Reipublicæ rationalis.* 66. *Dei cognitio nulla apud Braſilienſes.* 11. 37. *Dei non exiſtentis ſuppoſitio abſurda. p.* 46. 68. 90. *Deum non exiſtere; ignorari invincibiliter & inculpabiliter; ejus offenſionem non adverti, pro eodem habentur. p.* 15. 18. 72. 102. *Dei indignatio Philoſophica.* 50. *Quid ejus providentia faceret de adulto moriente ſine peccato mortali, ſeu cum ſolo Philoſophico.* 3. *& alibi. Vide* PECCANTES *&c.*

I

INADVERTENTIÆ *optanda ſequela* 6. *Eximit à gravitate Theologicâ. p.* 7. 8.


IGNO-

Ignorantia *omnis excuſat à peccato.* 97. *Inculpabilis & invincibilis diſtinguuntur.* 38. 83. *Invincibilis eſt poſſibilis* 3. 4. *Excuſat à pœna æterna.* 4. 6. *Quid ſit ignor. invincib.* 37. 62. 54. 83. *Phyſicè poſſibilis, non regulariter.* 14. 83. *Et diu & in non paucis poſſibilis* 24. *Diu in pauciſſimis.* 34. *In multis Barbaris & incultis* 37. *Etiam in baptizatis* 25. *Diu in rudi poſſibilis* 85. *Sæpè contingit* 5.

Infideles *aliqui fortè non damnati pœnâ ſenſûs.* 46.

P

Parricidium *Philoſophicum.* 43. 47. *& alibi Peccatum Philoſophicum poſſibile probatur* 64. 87. 89. *Actu dari.* 46. 68. 87. 89. *Optandum magis quàm Theologicum.* 65. *Peccantes Philoſophicè quò eant poſt mortem* 6. 52. 56. 66. *Peccans præſcindendo à gravitate & levitate malitiæ venialiter tantùm peccat* 30. *De peccati ratione non eſt ut ſit contra legem Superioris* 47. *Peccata Fidelium etiam graviſſima an poſſint eſſe non mortalia.* 49. *Peccatum Philoſophicum omnium graviſſimum nunquam æquare poteſt minimum Theologicum.* 50. 57. 64. 65. 73. 88. *Non peccat is cujus voluntas imaginatione ſic inflammata & appetitu ſenſitivo ſic vehementi rapitur, ut impotens ad oppoſitum reddatur.* 55. 59. *Philoſophicum Deus punire non poteſt, nec eſt pœnitentiæ materia.* 86. *Peccata & occulta, & ignorantiæ, & non pungentia plenam advertentiam habent.* 59. *Quæ dicantur ignorantiæ peccata* 59. *An ſit peccatum ſine ſcrupulo* 60. *Ut peccatum ſit Philoſophicum, ſufficit de Deo non cogitare.* 64. *Peccati imputabilitas in quo fundetur* 93. *Novus cavillus Philoſophiſtæ Lemovicenſis* 98. *Philoſophiſmus à Leſſio traditus.* 78. *& ab Hamelio.* 32.

MO-

# MONITUM.

*Notum eſt quanta fuerit utilitatis Denuntiationis peccati Philoſophici, quem fructum in ipſis ejus Progenitoribus conſecuta, quàm puduerit eos fœtûs ſui, quem vix detectum docti pariter & indocti juſtâ indignatione reſpuerunt, ſalubri horrore averſati ſunt. Mirum qui fieri potuerit ut monſtrum iſtud ſolo aſpectu horribile, Scholas, quæ Chriſtiano nomine gloriantur, tam diu impunè perambulaverit. Stupore correptos, vel alto nimium ſopore merſos fuiſſe oportet Theologos, qui Scholarum vigiles conſtituti ſunt. At vel nunc attentè eos circumſpicere oportet, ne palàm ſaltem graſſari pergat portentum iſtud. Incautis providendum eſt, ne illud offendant in via. Perſcrutanda latibula, luſtranda omnia, necubi inſidietur in abſcondito. Oſtenſum eſt hoc Scripto ad quos ſe ſoluerit recipere. Denunciandi ſunt qui aſylum præbent, illi, inquam, qui Philoſophiſmum fovent & docent. Proinde rogantur omnes, qui Libros habent, Theſes, aut Manuſcripta ſuperiori Cathalogo non comprehenſa, quibus doctrina iſta* apertè *traditur, illa in Reip. Chriſtianæ bonum communicare aut ipſimet publico dare non graventur.* Apertè *dixi:* etenim *latebit ſemper anguis in herba, quamdiu hæc non reſecatur. Herbam voco hoc malè intellectum principium :* Nihil volitum, niſi cognitum. *Sub hoc occuluntur velut angues plura perniciociſſima dogmata, quæ non ſtatim caput erigunt; ſed ſemſim ſeſe inſinuant, & incautos inficiunt. Quamobrem, nequid quemquam lateat, quod mihi imputetur, omnes monitos volui, plena eſſe ejuſmodi colubris Scholaſtica Ieſuitarum Scripta, & eorum qui Ieſuitis laxiora ſectantibus plùs æquè addicti ſunt.*

# PHILOSOPHISTÆ.

## PARS PRIMA.

## SEU

# EXCERPTA

## EX LIBRIS EXCUSIS

# JESUITARUM,

## IN QUIBUS TRADITUR

# PHILOSOPHISMUS.

## JOANNES DE LUGO.

ANNO 1633. *Joannes de Lugo Jeſuita Hiſpanus, edidit Lugduni Tractatum de Incarnatione Dominicâ, in cujus diſput.* 5. *ſect.* 5 & 6. *mentem ſuam aperit ſuperpeccato Philoſophico ſect.* 5. *hanc ſibi proponit quæſtionem :* An ſi reipsâ daretur tale peccatum cum illa inadvertentia offenſionis divinæ, adhuc eſſet mortale. *Refert aliorum Theologorum ſententiam exiſtimantium tale peccatum fore mortale ; ſuam verò ſic opponit :* Contrariam ſententiam docentem, illâ hypotheſi datâ, peccatum illud non fore mortale ſecundùm gravitatem illam Theologicam, quam peccatum mortale importat, exiſtimo veriorem. *Notari etiam poſſunt hæc verba ex ſect.* 5. *ubi loquens de eo qui adulterium aut homicidium commiſit non cogitans de Deo, ſic ratiocinatur:* 1633.

I. PARS. Non ergo imputabitur operanti quòd offenderit Deum, ſed quòd occiderit vel mœchatus fuerit. Nec Deus indignabitur quòd ipſum offenderit, ſed propter homicidium vel mœchiam, quæ poteſt dici offenſa materialis, ut diſtinguatur ab illâ aliâ quæ poteſt dici formalis, quatenùs contrahit formaliter malitiam offenſionis divinæ. *Sectione autem* 6. *hanc ſibi* 1. *objectionem proponit ex* 1. *ad Corinthios c.* 6. Neque fornicarii, neque adulteri, &c. regnum Dei poſſidebunt. *In reſponſione ad objectionem ſic ſcribit illle:* Sicut ergo Chriſtus dixit Petro: *Si non lavero te non habebis partem mecum*; ita Paulus dixit Corinthiis: Si fueritis adulteri non habebitis regnum Dei. Cæterum ſicut Petrus non incurreret illam pœnam ſi non adverteret ad Chriſti præceptum; ſic nec Corinthii ſi non adverterent ad divinam offenſam; ſine qua licet fieret ADULTERIUM PHILOSOPHICUM, ut ita dicam, non tamen THEOLOGICUM, de quo Paulus loquebatur cùm loqueretur de illo in ratione peccati mortalis. *Objicit:* Objiciunt adverſarii, quia antecedenter ad Dei prohibitionem, homicidium v. g. vel adulterium, eſt malum mortale grave. Reſpondeo, *inquit*, grave eſſe gravitate PHILOSOPHICA, non gravitate THEOLOGICA. *Contendit quidem poſtea* iſtud nunquam accidere, aut FERÈ NUNQUAM, *ut in praxi malitia Philoſophica ſeparetur à Theologicâ ſaltem inter Chriſtianos, ſed quàm hoc falſum ſit in eorum principiis, fusè oſtenſum eſt Denuntiatione* 4. *&* 5. *Non impoſſibile tamen ab illo judicari ut peccatum Philoſophicum actu committatur, ſaltem ab illo qui tantiſper ignoret Deum Deique legem, probat hæc objectio ejusque ſolutio, quæ prorsùs ſingularem prodit Theologi iſtius de animarum ſalute ſolicitudinem.* Dices ſaltem illo brevi tempore, quo ſine culpa ignorare-

norar*etur* Deus, poſſet aliquis mori ante cognitio- I. PARS.
nem Dei. Quid igitur fieret de illo adulto ſine peccato mortali? Reſpondeo facilè .... in noſtro caſu dicendum pertinere ad eandem providentiam Dei, ut nullus infidelis adultus moriatur donec vel cognoſcat Deum, vel ſaltem dubitet & culpabiliter omittat ejus inquiſitionem, vel non obſtante illo dubio committat alia peccata gravia, quæ quidem jam erunt omnino mortalia; cùm exponat ſe periculo offendendi illum Conditorem de quo dubitat an ſit.

## RODERICUS DE ARIAGA.

*Hunc proximè ſequitur Rodericus de Ariaga Je-* 1644.
*ſuita Hiſpanus, qui in Tract. de Actibus humanis Diſput.* 19. *num.* 56. *& alibi utitur voce* PECCATI PHILOSOPHICI ſeu PECCATI PHILOSOPHICè SUMPTI. *ut cum n.* 56. *dicit:* ſecunda pars noſtræ ſententiæ ſit: etiam ſine lege æterna Dei poteſt intelligi actio mala moralis ſeu peccatum Philoſophicè ſumptum. *ſed rem ipſam ſatis exprimit in Tract. de Deo trino & uno Diſput.* 2. *ſect.* 3. *quod ut clarè pateat, notentur ſequentia.*

Ego ſanè vix dubito, *inquit*, quin multi poſſint inveniri, in quibus nec per umbram ſimilis excitetur ratiocinatio: (*nimirum circa Dei exiſtentiam*) poterunt ergo habere ignorantiam invincibilem Dei. *Et infrà ſic objicit:* Ergo talis homo ignorans Deum non peccabit mortaliter, etiamſi alium occidat & putet ſe malè facere: nam peccatum mortale definitur communiter, Dictum, factum vel concupitum contra legem æternam Dei: ille autem legem æternam ignorat: ergo non peccat, licet noſcat ſe contra rationem agere. H*actenùs objectio, cui ſic reſpondet.*

I. PARS. De hoc egi in materia de actibus humanis ( *volumen eſt in folio impreſſum Antverpiæ anno* 1644. ) dixique talem non promeriturum per illud factum pœnam æternam, ſed temporalem gravem, ad modum quo à Republicâ ſufficienter punitur furtum, quatenùs eſt contra illam, vel virgis vel ſuſpendio. Nam ratio promerendi pœnam æternam ſolùm deſumitur ex eo quòd aliquis homo, ſaltem in confuſo, noſcat ſe offendere Deum ſummum: quod in ignorante non reperitur; nec inconveniens eſt in tali concedere eam actionem non eſſe pœnâ æternâ dignam ex ignorantiâ illâ invincibili.

*Et in Tract. de Actibus humanis Diſput.* 19. *ſect.* 10. *ſtatuit primò hanc concluſionem:* Peccatum in ratione mortalis, ſive ut condigni pœna æterna, ſolùm conſtituitur in ordine ad legem æternam Dei.

*Deinde n.* 44. *dicit illius Concluſionis rationem à priori non facilè inveniendam: refert tamen aliquos Recentiores diſcurrentes hoc modò:* Eo ipſo quo quis operatur contra dictamen rationis, operatur contra legem æternam Dei; & ſicut implicat peccare non operantem contra dictamen rationis, ita etiam implicat peccare non operando contra legem Dei. Hæc tamen doctrina, *inquit*, non ſubſiſtit, quia negari nequit poſſe ſaltem divinitùs in aliquo homine eſſe ignorantiam invincibilem Dei. Et verò crediderim ſæpè de facto id contingere, ſi v. g ruſticum vel alium quempiam ſtatim ab uſu rationis præceptor, cui ille valdè fidebat, doceret nullum eſſe Deum, ſed cœlos à ſeipſis moveri, homines à ſeipſis propagari, &c. Inſuper ſi in tali caſu etiam edoceretur aliqua objecta eſſe indigna homine & turpia moraliter, v. g. mendacium, homicidium, pollutionem &c. certè iſte opera-

operaretur contra dictamen rationis, quo noverat talia objecta inhoneſta eſſe vitanda, contra legem verò æternam Dei nullatenùs operaretur formaliter, quandoquidem non ſolùm eam legem ignoraret invincibiliter, ſed potiùs errorem contra illam etiam invincibilem haberet, putans eſſe chimæram, Deum adſtruere, & conſequenter legem illius. *Hinc infert contra Recentiores illos:* Ergo in hoc caſu daretur peccatum ſine contrarietate ad legem æternam Dei: *hoc eſt purè Philoſophicum.* I. PARS.

*Poſtquam n.* 45. *&* 46. *retulit alium modum diſcurrendi aliorum Recentiorum, qui rationem Concluſionis antepoſitæ petunt ex repugnantia amoris Dei ſuper omnia cum peccato mortali, contra hos arguit in hunc modum:* Si ſemel conceditur hominem habentem uſum rationis in aliquo caſu poſſe ignorare invincibiliter, peccatum & malum morale eſſe contra Deum, non video, cur id repugnet in hoc ordine rerum, in quo poteſt eſſe tanta ſtoliditas in aliquo homine quoad iſtud punctum, quanta in alio ordine poſſibili rerum. Imò (ut ſuprà dixi) eſt valdè probabile, eam ignorantiam SÆPE contingere. Et certè ſi ab aliquo nequam Parocho ita ab infantia ruſticus inſtrueretur, procul dubio haberet talem ignorantiam invincibilem de Deo, & conſequenter ignoraret mala moraliter eſſe contra Deum.

*His præmiſſis, incipit proponere ſuam ſententiam his verbis:* Priuſquam noſtram & communem ſententiam perſuadeam, adverte aliquid hîc de nomine miſceri, aliquid de re. De re, utrum illa actio contra naturam rationalem (Deo invincibiliter ignorato:) foret digna pœnâ æternâ, & odio Dei gravi, quali nunc Deus peccatores odio habet...... Circa punctum de ipsâ re Concluſio ſit, Illud malum

I. PARS. lum morale cum ignorantiâ Dei invincibili, ſive vocetur peccatum, ſive non, non eſt condignum pœnâ æternâ, ut ſæpè inſinuavimus.

*Conatur hanc ſuam ſententiam ſtabilire, & pro ea citat varios, ac n.* 50. *ſubjungit:* Et res videtur mihi valdè clara, quia, ut dixi, Theologi non aliunde videntur inferre dignitatem pœnæ æternæ, quàm ex ratione offenſæ divinæ. Et licet fortaſſis aliqui negent poſſe dari in homine ignorantiam invincibilem Dei, & conſequenter non poſſe committi malum grave mortaliter ſine ratione peccati; omnes tamen admittunt illam conditionalem, quam *.S. Th. ponit, ſcilicet, ſi poſſet eſſe ea ſeparatio, non futurum illud malum ejus gravitatis cujus nunc eſt; ergo cùm nos ſolùm de illa conditionali loquamur (*anteà quippe ſufficienter admiſerat ignorantiam invincibilem Dei*) concedi debet nobis favere omnes ferè Theologos.

*Inter objectiones proponit ſibi hanc tertio loco:* Sequitur ex noſtra ſententia multa graviſſima ſcelera liberari à ratione peccati mortalis PROPTER INADVERTENTIAM ad Dei offenſam. *Ponit unam reſponſionem Patris Lugo, quæ negat id ſequi, & præterea addit:* ſi ſequeretur id quod objiciunt, potiùs illud optandum fore quàm timendum, quia per hoc vitaretur ea gravitas ſumma, quæ in offenſa Dei, qua tali, reperitur.

Urgent, *inquit*, inter Barbaros multi ſunt qui de Deo nullam habent notitiam: Ergo ſaltem illi tunc non peccabunt. Reſpondeo, ſi ſit invincibilis ea
N. 23. ignorantia, omnino excuſandos. Dices, quò ergo tales ibunt poſt mortem? . . . . . . Dici poteſt eos gravi aliquâ pœnâ temporali torquendos, & dein ad Limbum cum pueris deſtinandos.

*. Intelligit citationem S.Thomæ ex 22 q. 10. a. 3. circa quam citationem maximè hallucinatur, ſiquidem S.Th. nihil ſimile habet nec ibi nec variis aliis locis citari ſolitis, ſed q. 20. a. 3. dicit non fore peccatum ſi ab actu ſeparetur averſio à Deo.

BER-

## BERNARDUS DE ALDERETTE. I. PARS.

*Bernardus de Alderette Jeſuita item Hiſpanus eadem ſentit ac ſcribit de peccato Philoſophico ac Joannes de Lugo, cujus nimirum verba ipſa deſcribit in Tractatu de Incarnatione Diſput.* 7. *ſect.* 2. *Editionis Lugdunenſis* 1652. *quo anno duos in* 3. *Partem Tomos vulgavit.* 1652.

## GEORGIUS DE RHODES.

*Georgius de Rhodes Jeſuita Gallus doctrinam de peccato Philoſophico fuse tradidit in ſua Theologia Scholaſticâ editâ Lugduni anno* 1661. *tom.* 1. *Diſput.* 1. *de peccatis q.* 1. *ſect.* 1. *parag.* 2. *pag.* 389. Controverſia, *inquit*, naſcitur inter Theologos celeberrima, utrum peccatum mortale in materiâ gravi & mortali, v. g. furtum & adulterium, eſſet peccatum mortale dignum æternâ pænâ & privatione gratiæ, in eo qui Deum & legem æternam ignoraret, vel certè qui actu illam non conſideraret. Tunc enim haud dubiè peccatum non haberet rationem offenſæ Dei, haberet tamen rationem peccati. *Et infrà:* Peccatum mortale in iis qui Deum vel omninò ignorant, vel non actu conſiderant, verè nihilominùs peccatum eſt grave: ſed nullo tamen modo eſt Dei offenſa, neque peccatum mortale diſſolvens Dei amicitiam, neque dignum æternâ pœnâ. *Et rurſum:* Reſpondeo duplicem in peccato conſiderari poſſe gravitatem. Prima eſt purè moralis, altera eſt Theologica, quæ conſideratur ſolùm à Theologis, cùm altera Philoſophis nota ſit. Homicidium ergò factum cum inadvertentiâ ad Deum 1661.

habe-

I. PARS. haberet priorem illam gravitatem, non autem poſteriorem, per quam peccatum mortale conſtituitur, & homo fit indignus Dei amicitiâ.

## JOANNES MARTINON.

1663. *Joannes Martinon etiam Gallus in ſuo Opere in folio Pariſiis edito anno* 1663. *ſic diſcurrit Diſp.* 15. *de peccatis ſect.* 1. *n.* 8. Difformitas peccati dupliciter ſpectari poteſt. 1. Quatenùs repugnat naturæ rationali ut tali: & ſic dicitur PECCATUM PHILOSOPHICUM, quia ſub eâ ratione conſideratur à Philoſophis moralibus .... 2. Quatenùs repugnat Legi Dei pro ſuo jure exigentis oppoſitum: & ſic dicitur offenſa Dei vel injuria, & PECCATUM THEOLOGICUM *Et infrà:* Multi peccant agendo contra rationem, qui finem ultimum ſibi non propoſuerunt, aut de illo non actu cogitant, neque advertunt ſe à fine deflectere .... Multi peccando non cogitant ſemper de Lege divinâ, neque de Deo, neque de Gratiâ ſupernaturali, de quâ plerique infidelium nihil unquam audierunt.

## 1664. THOMAS COMPTONUS CARLETON.

*Anno ſubſequente* 1664. *P. Thomas Comptonus Carleton Anglus, hæc habet Tom.* 1. *Theol. Scholaſt. Diſp.* 104. *ſect.* 4.

Diximus ratione diverſæ deliberationis, ſeu advertentiæ, peccatum veniale tranſire poſſe in mortale: nunc ergo videndum quo pacto advertentia ad rationem peccati concurrat, & num ſemper requiratur, præſertim cùm detur peccatum inadvertentiæ. Dicendum cum P. Vaſquez hîc d. 107. cap. 3.

Tan-

Tannero d. 4. q. 5. dub. 5. & communi ſententiâ, ad peccatum omne advertentiam aliquam etiam actualem malitiæ requiri, ſaltem per modum ſuſpicionis aut dubii: & ad mortale quidem ejuſmodi eſſe debet hæc advertentia ut ſit plena & perfecta, ſeu expedita ac deliberata, ob gravitatem ſcilicet rei, eſto veniale peccatum cum minore, ſeu ſemi-plena advertentia committi poſſit, cum cogitatione ſcilicet quadam imperfectâ, qualis in ſemi-dormientibus reperiri ſolet. Hæc verò advertentia non neceſſariò eſſe debet malitiæ formalis vel moralis, ſed ſolùm Phyſicæ & objectivæ, ſeu quod objectum illud ſit aliquo modo diſconveniens naturæ rationali, ut ſuprà in materia de Actibus humanis latiùs eſt declaratum. I. PARS.

Ratio Concluſionis unica & ſufficiens eſt, quia quidquid eſt peccatum, eſſe debet voluntarium ſub eâ ratione, ſub quâ eſt peccatum. Sed malitia nullo modo cognita nequit eſſe voluntaria; ergo nec refundere poteſt malitiam moralem in actum.

Dixi requiri cognitionem malitiæ ſaltem per modum dubii: ſi enim nullo modo in mentem veniat, nec ulla ſuſpicio mali, eodem planè modo ſe habet homo ille reſpectu hujus objecti, ac ſi malum non eſſet. Certè quidquid ſit objectum in ſe, reſpectu operantis in hoc caſu non eſt malum imò nec poteſt quis ſe ad conſiderandam objecti illius malitiam applicare, ſi nulla ei in mentem veniat ejus ſuſpicio: ut autem actus ſit malus, debet quis liberè & humano more applicare ſe poſſe ad conſiderandum illius malitiam, quod tamen facere nequit, niſi aliquod habeat illius principium; hoc verò non habet, ſi nulla planè ſit malitiæ in objecto illo contentæ advertentia.

Plena itaque advertentia requiritur ad peccatum mortale, licet non ſemper recordentur homines ſe ejuſ-

I. PARS. ejuſmodi conſiderationem habuiſſe, vel ob conſuetudinem, ab aſſuetis enim non fit paſſio; & quando cum magna facilitate aliquid facimus non adhibendo peculiarem conatum, facilè poſteà obliviſcimur; vel etiam quia advertentia, quamvis deliberata, fuit tamen valdè tenuis: aliud namque eſt advertere, aliud advertere ſe advertere.

Quæ etiam ſunt cauſæ, cur ſubinde homines peccent ſine remorſu, vel ſi eum habuerint, facilè illius obliviſcantur; non tamen cenſetur peccatum ex malitia, niſi quando cognitio malitiæ eſt valdè clara, imò & cum quodam erga illam affectu, vel etiam cum præcepti aut legiſlatoris quodam quaſi contemtu. Et per hæc ſolvuntur omnia quæ opponunt adverſarii, quos in re puto non aliud à nobis ſentire.

Objicies 1. Ex noſtrâ ſententiâ ſequi, multa in dies ſcelera committi, furta, homicidia &c. quæ tamen juxta nos non ſunt peccata mortalia; fieri enim poſſunt vel ab omnino ignorantibus Deum, vel à non advertentibus ad ejus offenſam, ſed ſolùm ad deordinationem contra rationem naturalem.

Reſpond. Negando ſequelam: ad probationem quoad 2. partem dico, rarò contingere, inter Fideles præſertim, ut quis deliberatè aliquid hujuſmodi perpetret ſine advertentiâ aliquâ ad Deum, confuſo ſaltem modo: unde & timent pœnas ſibi ab eo infligendas: ſicut quando conjugatus, aut votum habens caſtitatis, peccat contra caſtitatem, non ſolet eos Confeſſarius interrogare, utrum tunc attenderint ad votum, vel conjugium, quia ſupponuntur aliquo ſaltem modo ad eà attendiſſe: quod à fortiori ſequitur de circumſtantiâ advertentiæ ad Deum.

Quoad

Quoad infideles affirmant plurimi in nullo homine adulto dari invincibilem ignorantiam Dei. Ita Abulenſis, Lyranus, Altiſſiodorenſis &c. Tenet etiam Coninck Tr. de Fide, ubi ait neminem poſſe longo tempore poſtquam ad uſum rationis pervenit, Deum invincibiliter ignorare. *Ergo poteſt aliquanto tempore.*

*Objicit tamen ſibi Molinam* 1. *p. ad art.* 1. *q.* 2. qui, *inquit*, nobis hac in re oppoſitus affert compertum eſſe incolas Braſiliæ nullam omninò Dei cognitionem habuiſſe.

Objicies 3. Juxta Paulum 1. ad Corinth. cap. 6. v. 10. *neque fornicarii, nec adulteri, nec fures &c. regnum Dei poſſidebunt*: ſed fornicatio commiſſa cum invincibili ignorantia Dei eſt verè fornicatio, quæ eſt peccatum mortale, cùm juxtà Apoſtolum perpetuò excludat è cœlo. .... Ad Argumentum Reſpond. Sanctum Paulum hoc loco allocutum eſſe Fideles; hi autem, moraliter loquendo, ſemper attendunt ad Deum, ſemperque illius prohibitionem ac diſplicentiam præ oculis habent. Imò ſuo modo hoc etiam verum eſt de infidelibus, ut ſuprà vidimus. Et ſicut in præceptis vel prohibitionibus de rebus indifferentibus, ut ſint peccata, debet aliquo modo eſſe advertentia prohibitionis vel præcepti divini, alioqui erunt actus indifferentes, ita & hîc ſine advertentiâ aliquâ ad Deum, erunt hi actus illius tantùm gravitatis ac malitiæ, quam hauriunt ab objecto naturali.

Objicies 4. Saltem ſi contingeret aliquem committere furtum vel homicidium ſine advertentia ad Deum, non eſſet ſecundùm nos peccatum mortale, nec teneretur quis illud confiteri, quod tamen non videtur admittendum; ſic enim multi prætendere poſſent

I. PARS. poſſent ſe in iſtiuſmodi rebus non peccaſſe mortaliter, cùm dicere queant ſe non advertiſſe ad Deum. Sed contra: ſi enim committeretur idem furtum aut homicidium ſine advertentiâ ad malitiam contra naturam rationalem (quod ſubinde accidere poſſe fatentur ipſi adverſarii) idem ſequitur inconveniens. Reſpondetur itaque rariſſimè contingere ut furtum hujuſmodi vel homicidium deliberatè fiat ſine aliquâ ſaltem advertentiâ ad Deum, ut ſuprà diximus: ſicut ſecundùm omnes, quando quis conjugatus committit adulterium, non ſolet à Confeſſario interrogari, utrum attenderit ad circumſtantiam conjugii; ſupponitur enim attendiſſe, & moraliter loquendo, contrarium nunquam evenire poteſt, licet in caſu aliquo Metaphyſico poſſit.

IDEM *Diſp.* 109. *ſect.* 5. Dices, *inquit*, ſi ergo leve aliquod tantùm peccatum aliquis admittat; dicat, v. g. mendacium jocoſum, ignorans diſplicere Deo: ſi poſteà idem præſtet cum advertentiâ divinæ diſplicentiæ, peccabit mortaliter. Patet conſequentia: id ſiquidem ſecundùm nos, quod antecedenter ad advertentiam divinæ diſplicentiæ offendit tantùm leviter, illâ poſitâ offendit graviter. Ergo idem erit de mendacio jocoſo & de ſimilibus.

Reſpondetur itaque, ad hoc ut aliquid ſit gravis offenſa Dei poſt advertentiam, debere illud antecedenter ad advertentiam diſplicentiæ divinæ habere aliquam gravitatem. Hoc autem in his omnibus contingit, homicidio v. g. adulterio, & ſimilibus, quæ antecedenter ad advertentiam Dei, licet non ſint gravia gravitate Theologicâ, ſunt tamen gravia gravitate Philoſophicâ; ut docet S. Thomas 1. 2. q. 71. a. 6. ad 5. Id eſt, ſunt gravia contra rationem naturalem, ſub qua conſideratione de iis diſputant

Phi-

Philoſophi morales; non tamen habent eam gravitatem quam Theologi in peccato peculiariter conſiderant, nempe prout dicit ordinem ad Deum,aliquo modo cognitum. I. PARS.

## PETRUS DE BUGIS.

*Petrus de Bugis Jeſuita Gallus idem ſentit hâc in parte cum Joanne de Lugo, cujus expreſſiones tranſcribit Lib. 3. de Incarn. cap. 5. n. 9. Tractatus editus eſt Lugduni anno* 1668. 1668.

## JACOBUS PLATELIUS.

*Jacobus Platelius Jeſuita Belga & Duaci Theologiæ Profeſſor edidit anno* 1679. *Synopſim curſûs Theologici,in cujus 2. parte cap. 3. §. 3. n. 189. pag. 116. ſic habet :* Hinc peccatum, quantumvis rationi graviter repugnans, commiſſum ab invincibiliter ignorante aut non advertente Deum eſſe, aut peccatis offendi, non eſt mortale : cùm enim nullum etiam virtualem & implicitum Dei contemptum includat, ſtare poteſt cum charitate perfectâ & amicitia divinâ. Unde tale peccatum eſſet quidem grave gravitate Philoſophicâ præcisè ſitâ in repugnantià cum naturâ rationali qua tali, cujus conſideratio pertinet ad Philoſophum moralem, non tamen Theologicâ conſiſtente in repugnantiâ cum lege & bonitate divinâ. Hæc enim malitia licet fundamentaliter ſit prior Dei prohibitione, ejuſque cognitione, ſumpta tamen formaliter eſt poſterior. 1679.

## COLLEGIUM LEODIENSE JESUITARUM ANGLORUM. 1690.

*Paulò poſt emiſſum Alexandri VIII. Decretumcontra errorem de peccato philoſophico prodiit in lucem Leodii,*

I. PARS. *dii*, DIATRIBA THEOLOGICA DE PECCATO PHILOSOPHICO CUM EXPOSITIONE (ſeu potiùs ludificatione) DECRETI INQUISITIONIS ROMANÆ EDITI 24. AUGUSTI 1690. *Is enim eſt titulus Libelli, cujus auctor vulgò creditur Robertus Manſfeldius in Collegio Anglicano Societatis Jeſu Leodii Theologiæ Profeſſor, idem qui hoc ipſo anno 1690. concluſiones Theologicas defendendas propoſuit, de quibus mox in ſecunda parte dicendum erit.*

§. 2. *Pag.* 11. *fatetur* Phyſicè quidem poſſibibile eſſe ut homo aliquandiu laboret ignorantia invincibili Dei; id tamen non contingere regulariter loquendo. Probatur. Quia enim Deum exiſtere non eſt homini notum ſicut illi nota ſunt prima principia; ſi quis ab aliquo Doctore extrinſeco nihil audivit de Deo, quod phyſicè loquendo ſine dubio poteſt contingere, is aliquo tempore viveret ſine notitia Dei. Etenim talis non poſſet venire in cognitionem Dei aliter quàm per rationes procedentes ex ſolo lumine naturali & ex cognitione naturali creaturarum. Verùm hujuſmodi diſcurſus nec citò nec facilè formatur ab homine qui de Deo nihil unquam audivit, ut perſuadeat ipſi exiſtentiam Dei.

*Fatetur p.* 12. *quod* Apoſtolus Rom. 1. *Quia cum cognoviſſent Deum &c.* videtur ſupponere poſſibilitatem ignorantiæ Numinis reſpectu aliquorum infidelium.

Regulariter tamen loquendo ( *pergit Diatriba* ) omnis homo perveniens ad uſum rationis cognoſcit Deum eſſe, ſive inter fideles educatur, ſive inter Infideles & Barbaros.

P. 13. In aliquo homine ignorantiam Dei invincibilem eſſe poſſibilem, ſaltem ad aliquod tempus, admiſimus ſuprà.

§. 3.

§. 3. p. 18. Dicendum ſecundo, licet in data hypotheſi poſſet fieri peccatum propriè ſeu malum morale, non tamen haberet malitiam peccati mortalis, id eſt, peccati gravis illa gravitate quam Theologi conſiderant in omni peccato quod mortale vocant. Adeoque peccatum commiſſum ab homine habente ignorantiam invincibilem Dei ( idem eſt de inculpabili inadvertentia ad offenſam divinam ) non haberet aliam quàm gravitatem philoſophicam, ex oppoſitione quam philoſophi advertunt cum recta ratione. *Hanc concluſionem* is p. 19. *probat tum ex eo quod qui ſic peccat* non avertit ſe voluntariè à Deo, *tum quod* malitiam non continet infinitam (p. 21.) nec eſt injurioſum Deo(p. 22.) adeoque non meretur pœnam æternam. (p. 23.) I. PARS.

§. 2. 6. p. 31. *Hanc ſibi proponit objectionem.* Dices ſecundò : Doctrina noſtra videtur eſſe pernicioſa in praxi, & apta generare ſcandalum apud fideles. Cum enim juxta nos pro eodem habeantur non exiſtentia Dei, invincibilis ignorantia Dei, & inculpabilis inadvertentia offenſionis divinæ; ſequitur homines in præſenti rerum ſtatu poſſe committere adulteria, furta &c. quæ de facto non habeant majorem malitiam, quàm haberent in ſuppoſitione impoſſibili quòd Deus non eſſet. Adeòque quòd fiant innumera peccata quæ ſolùm ſint Philoſophicè, non verò Theologicè gravia, nec mortalia propriè loquendo, neque mereantur pœnam æternam. Probatur ſequela. Multi enim peccatores ex iis præſertim qui, ut Scriptura ait, iniquitatem bibunt ut aquam, de Deo minimè cogitant cum peſſimè agunt.

*Ad partem objectionis quæ de ſcandalo eſt, ſeu ad hanc notam & qualificationem Cenſuræ Pontificiæ,*

SCAN-

I. PARS. SCANDALOSAM, *ſic reſpondet; quàm reverenter judicent quorum intereſt.*

Reſpondeo, commune eſſe veritati & falſitati ſcandalum generare. Eſt tamen diſcrimen, quia veritas doctorum animos non offendit. Demus caſum eſſe poſſibilem in praxi, quòd homo non omnino advertat ad offenſionem divinam, cùm vult facere aliquid graviter repugnans rationi. Certé nequit major eſſe inconvenientia in hoc quàm quòd dicatur caſum eſſe poſſibilem in praxi, quòd fœmina maritata præbens alteri ſui corporis copiam non advertat ad injuſtitiam quam viro ſuo facit: aut quòd Religioſus non advertat ad votum caſtitatis, cùm vult exercere rem veneream. Quod ergo ad has & ſimiles inſtantias dicitur, nempe naturalem inconſiderationem ſeu oblivionem ſtatûs Matrimonii aut voti excuſare à materia gravi adulterii & ſacrilegii, quin propterea rationabiliter inferri poſſit principium illud apud omnes receptiſſimum: " *Circum-"ſtantia penitùs ignorata non inficit ſuâ malitiâ "actum,* " excuſare innumera peccata adulterii, ſacrilegii &c. id ipſum ego dixero in materia propoſita.

*Quanta & quàm horrenda contineat hoc primum ac præcipuum reſponſum nemo non videt. Sed alterum addit velut ex abundanti.* Sed quo, *inquit*, ſecurius figamus pedem, inſuper addo, non poſſe contingere in praxi moraliter loquendo, ut homo committat peccatum quod habeat tantùm gravitatem Philoſophicam. Ratio eſt, quia nemo facit peccatum neſciens ſe facere peccatum. *Probat, fingens fictione omnium inſulſſima, nec niſi ad illudendum adducta.* Quod quicumque peccat, in mente habet unam

unam ex iſtis formalitatibus, nempe quòd peccatum ſit offenſa contra Deum, & quòd repugnat rectæ rationi. Sed formalitas offenſæ contra Deum naturaliter prior eſt in mente formalitate malitiæ repugnantis rectæ rationi, vel ſaltem unà cognoſcitur cum hac formalitate &c. I. PARS.

*Sed quis non miretur hominis vafritiem, qui objectionem omnium graviſſimam, & cui ſolvendæ prorsùs impar eſt, tam leviter exſufflat, ut illi ſuccumbens videri tamen velit ei ſatisfeciſſe per hanc diſtinctiunculam:* non poſſe moraliter loquendo contingere in praxi ut homo committat peccatum quod habeat tantùm gravitatem Philoſophicam; *licet* Phyſicè poſſit, *ut fatetur §. 2. p. 11. ſuperiùs excerpta: ubi & alteram non minùs ineptam* regulariter *& non regulariter ſuggerit, nequaquam explicans quid illa ſibi velit.*

*Vult igitur rariſſimè contingere ejuſmodi peccata purè Philoſophica. Sed primùm ſufficit ipſum fateri dari poſſe ejuſmodi peccata, quæ, etſi in ſe graviſſima & enormia, non ſint tamen mortalia, nec diſſolvant amicitiam Dei nec mereantur æternam pœnam, ut reus habeatur hæreſeos peccati Philoſophici ac violati Pontificii Decreti. Deinde ex ipſiusmet conceſſis p. 11. luce meridianâ clarius eſt ſequi innumera dari poſſe, ac reipsà dari ejuſmodi peccata Philoſophica.*

*Nam* 1. *fatetur*, Deum exiſtere, non eſſe homini notum, ſicut illi nota ſunt prima principia.

2. *Fatetur quòd*, Si quis ab aliquo Doctore extrinſeco nihil audivit de Deo, quod Phyſicè loquendo, *inquit*, ſine dubio poteſt contingere, is aliquo tempore viveret ſine notitia Dei.

3. *Fatetur quòd* talis non poſſet venire in cognitionem

I. PARS. tionem Dei aliter quàm per rationes procedentes ex ſolo lumine naturali, & ex cognitione naturali creaturarum.

4. *Fatetur quòd* hujuſmodi diſcurſus nec citò nec facilè formatur ab homine, qui de Deo nihil umquam audivit, ut perſuadeat ipſi exiſtentiam Dei.

*Quis porrò niſi pervicax ac malæ fidei homo non ſimul fateri cogatur innumeros eſſe, ſaltem apud infideles ac barbaros, qui nihil unquam de Deo audierunt ab aliquo Doctore extrinſeco; innumeros pariter, qui prorsùs incapaces ſunt veniendi ad cognitionem Dei per rationes procedentes ex lumine naturali & ex cognitione naturali creaturarum; innumeros denique, qui, licet id utrumque poſſint, ad illam tamen Dei cognitionem non niſi tardè ac ſerò admodùm perveniant:* cùm hujuſmodi diſcurſus nec citò nec facilè formetur ab homine, qui de Deo nihil unquam audivit, *hoc ipſum ita aſſerente Diatribiſta.*

*Igitur, velit nolit, ex ipſius principiis ſequitur, quod urget objectio,* fieri innumera peccata quæ ſolùm ſint Philoſophicè, non verò Theologicè gravia, nec mortalia propriè loquendo, neque ea mereri pœnam æternam; *præſertim cùm ultrò fateatur* juxta ſeipſum pro eodem haberi non-exiſtentiam Dei, invincibilem ignorantiam Dei, & inculpabilem inadvertentiam offenſionis divinæ.

*Ex quibus ſequitur vana eſſe Diatribiſtæ effugia, quibus ſe ſuosque nititur Cenſuræ Pontificii Decreti ſubducere.* 1. Quod Propoſitionem Theſeos Divionenſis Cenſura affecit Pontifex, quatenùs expoſitum fuerat S[ti.] S. eſſe peſſimarum conſequentiarum principium. *Nam falſum eſt Theſim in ſeipſa & abſolutè non eſſe damnatam; falſum, Cenſuram Pontificis*

*tificis falſæ expoſitioni fuiſſe nixam; falſum denique, dogma Philoſophicum, ut à Diatribiſta, ſociiſque exponitur, non iiſdem ſubjacere conſequentiis atque proſcripta Theſis, utì mox probatum eſt.* I. PARS.

2. Theſim ideò damnatam eſſe, quia generatim loquitur de ignorantia & inadvertentia. 3. Quia dicit peccatum naturæ rationali repugnans non eſſe offenſam Dei. *Gratis utrumque comminiſcitur: de neutro enim ne γρὺ quidem in Decreto. Inſuper quàm nîl quicquam ad rem faciat illa ignorantiæ invincibilis & inadvertentiæ inculpabilis diſtinctio, abundè à Denuntiatore probatum, Sanctæque Sedi expoſitum etiam ante conceptam Theſeos Cenſuram. Denique ſi propter negatam offenſam Dei in peccatis naturæ rationali repugnantibus damnata Theſis, in eodem reatu jacet Diatribiſta. Uterque enim materialem Dei offenſam in ejuſmodi peccatis ultrò admittit: at uterque formalem & utì talem cognitam prorsùs removet à talibus peccatis; ac proinde utrumque pariter Decreti Pontificii Cenſura afficit: quod Decretum quàm irreverenter ac contumaciter Diatribiſta excipiat, ex dictis nemo facilè non intellexerit.*

PARS II.

# PARS SECUNDA
## SEU
# EXCERPTA
## EX
# THESIBUS
## publicè defenſis
# IN COLLEGIIS
## PP. SOCIETATIS.

## COLLEGIUM LOVANIENSE.

1640. SÆcularem natalitiorum Societatis Triumphum Pompamque ornavit peccatum philoſophicum, Theſibus defenſis, quarum hic Titulus: Poſitiones Sacræ ex univerſa Theologia, quas Præſide R. P. Ignatio Derkennis Societatis Jeſu Sacræ Theologiæ Profeſſore tuebitur P. Franciſcus Xaverius Deprez ejuſdem Societatis Lovanii in Collegio S. J. anno à partu Virginis 1640. ab ortu Societatis 100. die 2. Julii hora 9. ante & 3. poſt meridiem.

*Solennes porrò hæ Theſes nuncupatæ ſunt:* SS. Ignatio & Xaverio cæterisque è Societate Jeſu quondam ſub volubili temporum lapſu divinæ gloriæ ſervientibus, nunc in beatæ æternitatis ſtabilitatem adſtrictis, Cœli incolis, conſummatis in gloria Theologis, Parentibus

tibus, Patronis, Præſidibus, Filii, Clientes, ſubditi, ab erecta in terris Societate anno ſæculari. II. PARS.

*Porrò* cum eodem hoc ſæculari Societatis anno in lucem primùm *Lovanii* prodiiſſet Cornelii Janſenii *Iprenſis Epiſcopi* AUGUSTINUS; P. Derkennis ejusque tum Collega in Magiſterio Theologiæ P. Joannes De Jonghe primi in illum ſtrinxerunt calamum, ediderunt que ambo ſeparatim *famoſas* illas Theſes Theologicas de Gratia, libero Arbitrio, Prædeſtinatione &c. contra Cornelii Janſenii Auguſtinum in ſex Capita diviſas, Antverpiæ apud Joannem Meurſium 1641. in folio. *Hæc excerpta ſunt ex Nathanaele Sotwel S. I. in Cathalogo ſcriptorum Societatis Jeſu Romæ a. 1676.*

Hæ autem Theſes prohibitæ fuerunt à S. Inquiſitione Romana 1641. *& per Urbani VIII. Bullam ſuppreſſæ; uterque verò Theſium Author ac Propugnator ultimum diem obiit*; Derkennis quidem annos 58. natus die 29. Junii 1656. (*quo anno Alexandri VII Bulla contra Janſenium prodiit*) inopinato caſu, *aiunt Ieſuitæ*, cum unum in ſuburbanum propè Lovanium ſeceſſiſſet lapſus repentè ex alto ſenilia membra collidit: Pater *verò* De Jonghe per multos annos in declivi ætate ſcrupulis & conſcientiæ quaſi carnificinâ tortus, expiravit Antverpiæ die 11. Martii 1669. *quo anno per Clementem PP. IX. ſedatæ contenſiones circa Janſenium paxque Eccleſiæ Gallicanæ reddita.* Ex eadẽ Biblioth. ſcript. S. J.

*Igitur P. Derkennis ſæcularium ſuarum Theſium Conluſione XXXIII. ubi de peccato* MORTALI ET VENIALI, *ſic habet:* Ratio utriuſque eſſentialis adæquata conſiſtit in gravi vel levi offenſa Dei, graviter vel leviter legi repugnante. Unde qui Deum invincibiliter ignoraret, licet naturæ legem violare poſſit graviter, non tamen peccaret mortaliter.

I. PARS. IDEM COLLEGIUM LOVANIENSE.

1643. *Pater Ludovicus Schildere S. J. Theologiæ Profeſſor Theſes Lovanii propugnandas* 28. *Julii* 1643. *in lucem edidit, hoc præfixo titulo*, THEOLOGIA. Concluſione XII. De Peccati eſſentia & malitia, *ſic habet:* Peccatum invincibiliter Deum ignorantis, licet graviter legis naturæ violativum ſit, nunquam tamen Dei injuriam contrahet aut offenſam.

IDEM COLLEG. LOVANIENSE.

1668. ÆGIDIUS ESTRIX *Theologiæ Profeſſor in Collegio Societatis Lovanii edidit anno* 1668. *Theſes defendendas* 23. *Julii, in quibus non utitur quidem nomine peccati Philoſophici, ſed rem ipſam docet his verbis:* Peccati malitia non conſiſtit formaliter in privatione rectitudinis debitæ ineſſe actui aut voluntati. Committi poteſt ab eo qui Deum ignorat invincibiliter; & ſic non eſt formalis offenſa Dei, nec meretur pœnam ignis æternam. *Præmiſerat in iiſdem Theſibus iſtius doctrinæ principium dum dixerat:* Nullum eſt peccatum formale, niſi conſcientia hîc & nunc judicet de malitia.

*Idem Eſtrix* Deum ignorari poſſe ſaltem aliquamdiu, *quia* Deum eſſe non eſt per ſe notum quoad nos, *docet in Theſibus a.* 1669. *die* 29. *Julii defenſis.*

IDEM COLL. LOVANIENSE.

1670. ANTONIUS A BURGUNDIA *in eodem Collegio Profeſſor alias Theſes ſuſtinuit anno* 1670. *in quibus utitur eodem nomine peccati Philoſophici:* Peccatum, *ait,*

*ait*, aliud dicitur Philoſophicum, aliud Theologicum. Hoc eſt formalis offenſa Dei, ex eoque capite ſpecialem habet malitiam: illud nequidem eſt peccanti ſemper imputabile, ut factum contra Deum, ejusque legem, adeòque non apparet unde ſemper mereatur pænam ſensûs æternam. II. PARS.

## IDEM COLL. LOVAN.

IGNATIUS JONGHE *anno proximè ſequenti menſe Julio in Theſibus impreſſis ſic loquitur:* Peccatum Philoſophicum non meretur æternam pœnam ſenſûs, utì nec originale, quam tamen pœnam peccatum actuale mortale Theologicum mereri manifeſtum eſt: non aliâ de causâ eam meretur, quàm quòd ſit malitiæ infinitæ. Malitiam infinitam ex eo habet quòd ſit gravis formalis offenſio perſonæ dignitatis infinitæ cognitæ quà talis. 1671.

## COLLEGIUM ANTVERPIENSE.

PHILIPPUS DE HORNES *in Theſibus defenſis Antverpiæ anno* 1675. *die* 10. *Julii num.* 21. *ita habet:* Peccatum aliud eſt Philoſophicum, aliud Theologicum. Hoc eſt formalis offenſa Dei &c. Illud nequidem &c. *prout in Theſi P. à Burgundia.* Adeòque non apparet unde mereatur pœnam ſenſûs æternam. *In eo conſonat Theſi Patris à Burgundia. Rationem autem cur peccatum Theologicum mereatur pœnam æternam, eandem adfert cum P. Jonghe:* Putamus illud mereri pœnas æternas ex eo quòd ſit malitiæ infinitæ, quæ ex eo peti poſſe videtur, quòd ſit gravis offenſa formalis perſonæ dignitatis infinitæ cognitæ quà talis. 1675.

Idem

II. PARS Idem porrò P. De Hornes in iiſdem Theſibus *ultrò admittit ignorantiam Dei invincibilem etiam diuturnam. Sic enim habet in I. Concluſione :* Cùm hi diſcurſus ( *quibus probatur Deum exiſtere* ) non ſint tam faciles, hominesque inveniantur in ſilvis enutriti adeò hebetes & ſtupidi, ut res minùs ſubtiles exemplis etiam propoſitas non capiant, facilè conficies poſſe NON PAUCOS DIU INVINCIBILITER non aſſequi notitiam Dei perfectam : imò ſpectatâ tantùm naturâ humanâ etiam imperfectam, v. g. ſub ratione omnium creatoris, gubernatoris &c.

## COLLEGIUM LOVANIENSE.

1680. PATER POLENTIER *in Theſibus anni* 1680. *die* 23. *menſis Julii num.* 13. Reprobos æterni propriè dicti ignis pœnâ puniendos, veritas eſt Catholica : illam verò pœnam peccatum Philoſophicum probabiliter non meretur.

## IDEM COLL. LOVAN.

1680.
1681.
1682.
1683.
PHILIPPUS DE VOS *doctrinam illam ſuſtinuit in quinque Theſibus publicis ſub ipſo defenſis ab anno* 1680. *usque ad annum* 1683. *è duabus, quæ defenſæ ſunt anno* 1682. *prior, quæ eſt menſis Julii, fuſiùs rem explicat :* Peccatum Philoſophicum, ut vocant, ſeu quod contra legem naturæ cognitam committitur; at cum Dei ejusque legis ignorantiâ invincibili, nequaquam offenſa Dei formalis eſt, neque meretur pœnam ſensûs æternam. *In áliis breviùs :* Peccatum Philoſophicum neque eſt formalis offenſa Dei, neque pœnas ſensûs meretur æternas.

*Idem P. De Vos in Theſibus anni* 1680. fieri poſſe *affirmat*

*affirmat* ut quis ſibi viribusque naturæ relictus aliquo tempore, ſaltem exiguo, ignoraret invincibiliter Deum exiſtere. *Imò verò in Theſi a.* 1681. *docet:* Quòd fieri poteſt, etiam ſpectatis ordinariis gratiæ auxiliis, ut homo aliquis rationis compos & baptizatus Deum tempore ſaltem aliquo invincibiliter ignoret. II. PARS

## IDEM COLLEG. LOVANIENSE.

P. JOSEPHUS DE REUX *in Theſibus defenſis an.* 1685. 10. *Julii num.* 12. Peccatum, *inquit*, Philoſophicum, ut vocant, non eſt formalis offenſa Dei, neque adeò meretur pœnam ſensûs æternam. 1685.

## COLLEGIUM DIVIONENSE.

FRANCISCUS MUNIER. *Hic Vir, hic eſt, qui famoſam Theſim Divionenſem menſe Junio* 1686. *propugnandam expoſuit in aula majore Collegii Divio-Godranii Societatis Jeſu. Conſtat illa octo poſitionibus, quarum hæc prima eſt:* PECCATUM PHILOSOPHICUM ſeu morale, eſt actus humanus diſconveniens naturæ rationali & rectæ rationi. Theologicum verò & mortale eſt tranſgreſſio libera legis divinæ. Philoſophicum quantumvis grave, in illo qui Deum vel ignorat, vel actu non cogitat, eſt grave peccatum, ſed non eſt offenſa Dei, neque peccatum mortale diſſolvens amicitiam Dei, neque æternâ pœnâ dignum. 1686.

## COLLEGIUM LOVAN.

PATER HELLINX *in Theſi defenſa anno* 1686. 25. *Junii num.* 12. *aliâ phraſi idem exprimit:* Peccatum, ut vocant, Philoſophicum, non eſt formalis offenſa 1686.

Dei,

II. PARS. Dei, neque adeò pœnæ ſensûs nunquam finiendæ reum ſtatuit delinquentem.

## IDEM COLLEG. LOVAN.

1686. *Rurſum Pater* De Reux *eodem anno* 1686. 23. *Iulii num.* 12. Pœnam peccati mortalis æternam futuram docet Fides. At unde hanc meretur? Non incongruè offenſæ Dei malitiam quodammodò infinitam ut cauſam aſſignaveris. Peccatum Philoſophicum, ut Schola appellat, cùm non ſit formalis offenſa Dei, pœnis ſempiternis multi eximunt: nec immeritò, ſi ſpeculari liceat Theologis Scholaſticis.

## COLLEGIUM LUGDUNENSE.

1686. *Eodem anno in Theſi pro prima exercitatione Lugduni in aula Collegii SS. Trinitatis Societatis Ieſu menſe Septembri defenſa, ſub titulo* De Peccatis, Gratia & Virtutibus, *hæc habetur poſitio:* Peccatum ut ſic eſt exercitium libertatis diſconveniens naturæ rationali quà tali: NON REPUGNAT PECCATUM PURE PHILOSOPHICUM.

Eodem anno & menſe eadem Theſis iterum apud Cluniacum, ſeu in celebri Monaſterio Cluniacenſi defenſa ab eodem Jeſuitarum Diſcipulo, cui nomen Claudio Sylvestre Matisconensi.

## COLLEGIUM LOVANIENSE.

1687. P. Isaac De Bruyn *in Theſibus anni* 1687. 21. *Iulii num.* 15. Cùm Theologi ſtatuant peccatum mortale Theologicum pœnas ſensûs æternas mereri, quia eſt gravis & formalis offenſa Dei ſub ratio-

ratione ſummi & infiniti boni agniti, paſſim etiam negant peccatum Philoſophicum æternas pœnas ſensûs mereri, cùm illud non ſit formalis offenſa Dei ſub ratione ſummi & infiniti boni agniti. An non rectè? Nobis quidem ita apparet. Sed apud timoratos judicium eſto. II. PARS

## IDEM COLLEG. LOVAN.

*Idem in Theſibus anni ſequentis eadem repetit in* 1688. octava Concluſ. Quoſdam, *inquit*, offendit peccatum Philoſophicum. Offendere, ut à nobis exponitur, niſi fallimur, non poteſt. Per illud enim peccatum intelligimus quod cum invincibili Dei ignorantia committitur contra rationem, ſeu cum cognitione legis naturalis, non tamen cum cognitione legis divinæ, ſed cum ignorantia invincibili Dei ejusque legis. Neque etiam negamus per hoc offendi Deum, ſed offendi negamus formaliter, id eſt, ſub ratione Dei ut boni infiniti agnitum: quod nobis ſanè rectum videtur & manifeſtum. *Et quia tunc iſtius dogmatis abſurditas cœperat innoteſcere, ſubjungit.:* Neque, quæ hinc invidioſa deduci poſſint, Corrollaria videmus. Unum nos tantùm inferimus peccatum hoc non mereri pœnas ſensûs æternas, hoc nixi argumento. Ideò præcisè quis illas incurrit, quia graviter formaliter offendit Deum ſub ratione ſummi & infiniti boni cognitum. Philoſophicum autem cum illa cognitione non committitur. Igitur pœnas illas ſensûs æternas non meretur; aut illas Philoſophicè peccans non incurrit. Nobis certè ea rectè dici poſſe videntur: Et cur non omnibus?

COL-

II. PARS

## COLLEGIUM CLAROMONFERRANDENSE.

1688. *Eodem anno* P. PUGEAN *Theologiæ Profeſſor in Societatis Collegio Claromonferrandenſi, id eſt, Claremontanæ Urbis quæ eſt Arverniæ Provinciæ Gallicæ primaria, peccatum purè Philoſophicum propugnavit abſolutè & abſque ullâ hypotheſi, nimirum in Theſi quam ſub ejus præſidio defendit Iacobus Girad è vico San-Pauliano Diœceſis Podienſis, quam & Illuſtr. Armando de Bethune Podienſi Epiſcopo nuncupavit.* POSITIO XXX. Omne peccatum mortale includit ſpecialem malitiam offenſæ divinæ & meretur pœnam æternam; non habet tamen malitiam ſimpliciter, ſed ſecundùm quid infinitam. malitia peccati non conſiſtit in privatione, ſed in aliquo poſitivo. Peccatum veniale non condonatum, & cum mortali conjunctum, non punitur in inferno pœnâ æternâ. Peccatum etiam grave Philoſophicum factum ſine advertentia ad Deum, non meretur pœnam æternam. Datur peccatum originale &c.

## COLLEGIUM LOVANIENSE.

1689. *Idem qui ſupra P. Joſephus de Reulx in Theſi die 5. & 6. Julii anni 1689. Lovanii propugnata, in defenſione Peccati Philoſophici perſeverat adverſus Denuntiatores, ſeu, ut loqui amat,* Irriſores Philoſophici peccati. *Ita in 1. Theologiæ dogmaticæ Theſi. In quinta verò ſic:* Peccatum Philoſophicum nec malè cum originali confunde, nec hoſtilius quàm par eſt inſequere. Contra illud haud ita pridem claſſicum canere cœperunt viri quidam apud ſuos

magni

magni. Credibile eſt prima fronte nomen feriiſſe : II. PARS
& eſt cur feriat eos,qui ſinceram ac ſimplicem Evangelii doctrinam Philoſophicis ſophiſmatis plurimùm dolent deformatam ( *Et poſt relatum S. Thomæ locum* ) Poteſt ergo ſine piaculo conſiderari peccatum ut rationi contrarium. Poteſt & Philoſophicum vocari. Quod ſi Deus ignorari invincibiliter ab adulto poteſt, aliquo ſaltem tempore, ut probabilius nobis eſt, poterit & peccari Philoſophicè.

## COLLEGIUM LEODIENSE ANGLORUM.

*Anno* 1690. *menſe Octobris die P. Robertus* 1690.
*Mansfeldius Sacræ Theol. Profeſſor in Collegio Anglicano Societatis Jeſu Leodii Concluſiones Theologicas de Gratia, Iuſtificatione & merito, propugnandas à P. Joanne Schinner ejuſdem Societatis, typis excuſas propoſuit quarum hæc decima ſeptima :*

Effectus poſitivus gratiæ habitualis eſt reddere filium adoptivum Dei, dignum amicitiâ divinâ &c. Poteſt Deus de potentia abſoluta taliter juſtificato hæreditatem & amicitiam denegare. Homo non poteſt eſſe Deo perfectè gratus, aut aſſumi in filium & amicum modo perfecto ſine gratia, bene autem modo imperfecto. Effectus privativus ejus eſt expellere peccatum mortale cum quo habet ſolùm oppoſitionem formæ ad formam: Minor eſt repugnantia peccati mortalis Theologicè accepti cum gratia quàm cum ignorantia invincibili Dei. Cum hac enim impoſſibile eſt conjungi; cum illa verò poteſt ſaltem per potentiam abſolutam Dei. Unde ( ut putamus ) veritati ad minimum famæ optimi Theologi injurioſam notam ſtigmatizavit, qui nullam in ſcriptore Catholico doctrinam magis intolerandam pronuntiavit

II. PARS nuntiavit quàm hanc, *Peccatum quantumvis rationi graviter repugnans commiſſum ab invincibiliter ignorante aut* (inculpabiliter) *non advertente Deum eſſe aut peccatis offendi, non eſt mortale.* Ut gratia deleat peccatum non requiritur actus retractativus peccati, loquendo de potentia abſoluta, quæ & poteſt illud abſque gratia, condonatione intrinſeca delere.

## PROFESSOR TREVIRENSIS.

1691. P. POTIER *Jeſuita in Abbatia S. Maximini Trevirenſis Theologiæ Magiſter ibidem, Theſes propugnavit die Sabbati Quatuor-Temporum Septembris anni* 1691. *hoc eſt, menſe decimotertio poſt promulgatum Alexandri VIII. Papæ Decretum adverſum erroneum Peccati Philoſophici dogma. Inſcribuntur* Theſes Theologicæ, de Actibus Moralibus & de peccatis in genere, *conſtantque duodecim concluſionibus, quarum hæc prima eſt.*

I. Actus moralis dicitur ille qui fit cum advertentia rationis ad honeſtatem vel inhoneſtatem. Propterea ad moralitatem requiritur libertas & advertentia rationis ad bonitatem & malitiam.

VIII. Peccatum Theologicum eſt exercitium libertatis contra legem Dei. Malitia qua actus aliquis malus conſtituitur, non eſt privatio ſive conſequens, ſive antecedens, ſive qualiſcumque alia demum, ſed eſt poſitiva ipſius actus cum lege Dei difformitas.

IX. Non poteſt committi peccatum Theologicum cum invincibili Dei ignorantia, quamvis peccatum ſine Dei notitia contra naturam rationalem admiſſum diſpliceat Deo.

XI. Qui peccat præſcindendo à gravitate & levitate malitiæ, non admittit niſi peccatum veniale.

Ad

Ad peccatum mortale requiritur plena advertentia ad malitiam gravem aut ad illius periculum, quod facit qui dubitat. II. PARS

*Ex his perſpicuum eſt Profeſſorem iſtum nomen quidem peccati Philoſophici cautè ſuppreſſiſſe, ut diſcipulis ſuis fucum faceret; rem verò ipſam infandumque Philoſophiſmi errorem totum retinuiſſe, ſpreto Pontificis Decreto. Nempe definitionem in locum definiti ſubſtituit. Quid enim eſt* peccatum Philoſophicum, *niſi quod ille Concl.* 9. *aſſerit*, Peccatum ſine Dei notitia contra naturam rationalem admiſſum ac diſplicens Deo. *Ubi obſervandum, ipſum quidem aſſerere quod* non poteſt committi peccatum Theologicum cum invincibili Dei ignorantia; *at cum continuò addit*: quamvis peccatum ſine Dei notitia contra naturam rationalem commiſſum diſpliceat Deo; *jam non de invincibili ignorantia, ſed de ſimplici & abſoluta privatione notitiæ Dei ſermonem habet: quamobrem manifeſtum eſt ab ipſo admitti peccata purè Philoſophica in iis, qui Deum ignorant, ſive vincibili ignorantia, ſive invincibili; id eſt, actus diſconvenientes naturæ rationali & rectæ rationi, ſed qui non ſint formales offenſæ Dei, neque peccata mortalia, diſſolventia amicitiam Dei, aut pœnæ æternæ meritoria.* Ad peccatum *enim* mortale requiritur plena advertentia ad malitiam gravem aut ad illius periculum, *ut diſertis verbis ſcribit* Concluſ. XI. quæ profectò advertentia longè ab illo abeſt qui Deum ignorat ejusque legem. Ut ut enim advertat ad malitiam & gravitatem Philoſophicam, ſeu naturæ rationali diſconvenientem; at nequaquam ad Theologicam poteſt *advertere, quippe quæ ex notitia Dei ejuſque legis oriatur.*

*En ut ſponte & data opera ipſiſſimam doctrinam in*

II. PARS *in Theſi Divionenſi proſcriptam Pontificio Decreto amplexus eſt Profeſſor Trevirenſis. Imò verò doctrinam Divionenſi ac ipſo Philoſophiſmo deteriorem docet in his Concluſionis XI. verbis :* Qui peccat præſcindendo à gravitate & levitate malitiæ non admittit niſi peccatum veniale : *quot enim quantaque peccata etiam in fidelibus peccati mortalis expertia, atque adeò ab æterno ſupplicio immunia ex iſto principio judicanda ſint quiſquefacile intelligit. Prout enim peſſimi quique enormioribus criminibus magis aſſuefacti fuerint atque obdurati ; ita facilius dum peccant à gravitate vel levitate malitiæ præſcindere ſoliti ſunt: cum etiam maxima quæque flagitia admittere ludus perſæpe illis videatur, & iniquitatem ut aquam bibant.*

## COLLEGIUM LOVANIENSE.

1585. *Non vanum fuit Theologorum Lovanienſium in cenſuræ præfatione præſagium de Hamelio Jeſuita S. Theologiæ Profeſſore ejuſque Sociis dum à ſæculo circiter Moliniſmum, rem novam, in Belgium inferebant:* cum de Chriſtianorum moribus, *aiunt. Lovanienſes,* optimè ſitis hactenus promeriti, non parum veremur, ne, ſi in ſuſcepta ſemel doctrina perſeveretis, ejus contagio plurimum ſitis obfuturi, & qui bonæ vitæ multum ædificaſtis in Chriſto, dogmatis jam hujus magiſterio pleróſque magis vobis credulos in ruinam, quod abſit, exitiumque præcipitetis. *Etenim eo ipſo tempore Hamelius præter alias laxitates ſimul cum Moliniſmo Philoſophiſmum invexit, ut manifeſtum reddunt manuſcripta quæ dictavit in* 1. 2. *à die* 13. *Novembris* 1585. *uſque ad* 5. *Auguſti* 1587. *ubi Quæſt.* 72. *art.* 5. *Tractatus de di-*

*ſtinctione*

*ſtinctione peccati mortalis à veniali habet ſequentia :* II.PARS.
Aſſertio 2. propria difformitas peccati mortalis conſiſtit in eo quod per illud peccator plùs amat creaturam quàm Deum, & conſequenter quaſi relicto & contempto Deo, convertitur ad amorem creaturæ. *Et infrà:*

Objicies 2. Fieri poteſt ut cognoſcens aliquis homicidium eſſe malum & contra charitatem proximi, invincibiliter ignoret eſſe contrarium ultimo fini, non enim videtur uſque adeò per ſe notum peccatum mortale eſſe contra Deum, quin poſſit aliquo uſque ignorari, præſertim cùm videatur ipſe Deus poſſe invincibiliter ignorari ſaltem ad breve tempus. Quo poſito ſequeretur talem hominem, ſi alium occideret, non peccare mortaliter, quod neque expreſsè, neque virtute avertitur à Deo, in quo tamen ratio peccati mortalis conſiſtit: Conſequens videtur abſurdum: nam ad peccandum mortaliter ſufficit tranſgredi legem naturæ cognitam & propriè agere contra charitatem proximi, 1. quia alioquin omnes gentes, quæ Deum ignorant, & conſequenter non habent hunc virtualem contemptum in ſuis actionibus malis, non peccarent mortaliter, neque etiam puniendi eſſent pœnâ æternâ, quæ propriè peccato mortali reſpondet.

Reſpondent communiter, quacumque ignorantiâ poſitâ, actum malum hoc ipſo quo eſt contra rectam rationem in re gravi, neceſſariò habere conjunctam illam pravitatem, quæ eſt propria peccato mortali, quia, *inquiunt*, ſequitur ex natura rei, ideòque nullâ ignorantiâ impediri poteſt. Sed contrà, nam videtur habere hæc reſponſio locum tantùm in illa deordinatione ab ultimo fine, ut eſt circumſtantia generalis, non autem de eo, quæ eſt peculiaris

II. PARS. circumſtanſtia peccati mortalis. Idque probatur 1. Quia hæc difformitas peccati mortalis verè eſt ſpecie diſtincta à malitia, quæ ſumitur ex objecto. Ergo debet aliquo modo eſſe voluntaria, ut det ſpeciem malitiæ actui humano: ſed nullo modo poteſt eſſe voluntaria dum invincibiliter eſt ignorata, Ergo &c. 2. Iſta converſio ad creaturam ut ad ultimum finem & averſio à Deo non eſt per expreſſam voluntatem, ut diximus, ſed tantùm interpretativè; Ergo ut addat novam malitiam, debet ſecundùm moralem prudentiam imputari poſſe, ſed ubi eſt invincibilis ignorantia, non poteſt quid prudenter imputari ad culpam; Ergo &c. 3. Qui reipsà faceret quod invincibiliter putaret eſſe peccatum veniale, cùm tamen ſit peccatum mortale, non incurreret malitiam peccati mortalis. Sed talis videtur eſſe diſpoſitio operantis in caſu poſito; Ergo non contrahit malitiam peccati mortalis. Quare videtur dicendum, poſitâ tali ignorantiâ, actum illum habere totam malitiam, quam poteſt habere ex objecto cognito, non tamen illam quæ eſt propria peccati mortalis, nam gravitas materiæ circa quam quis peccat, ſumitur in ordine ad ipſum finem ultimum quatenùs ſcilicet homicidio v. g. graviùs offenditur Deus per virtualem contemptum quàm mendacio otioſo v.g. Itaque moraliter facit ille quidem actum, quo finis ultimus graviter offendi poteſt, ut amicitia inter Deum & hominem diſſolvatur, tamen in caſu ignorantiæ invincibilis non graviùs offendit, eodem ferè modo quo quis hominem ex ſimili ignorantia occidit, putans homicidium non eſſe peccatum mortale. Quare ad inconvenientia reſpondeo 1. eſſe inconveniens moraliter ponere talem ignorantiam, quia in pauciſſimis reperiri poteſt

ſaltē

ſaltem per longum tempus, tamen, illâ poſitâ, concedo quod infertur, neque eſt inconveniens, & quod attinet ad pœnam tali peccato debitam, utrum videlicet futura eſſet æterna nec ne? Idem eſt judicium, quod de peccato veniali conjuncto cum mortali, de quo infrà: & fortè per ſe non eſſet æterna, quandoquidem actus ille non privat fine ultimo, nam per illum peccator non avertitur quaſi ultimum finem contemnens. An verò per accidens poſſit eſſe æterna, dicemus inferiùs de pœna peccati. *Sed ibidem nil ſpeciale tractat circa hanc quæſtionem.* II. PARS.

*Ecce genuinum Philoſophiſmum fatetur Hamelius, 1. In pauciſſimis ignorantiam Dei invincibilem reperiri poſſe per longum tempus, & proinde in multis reperiri poſſe per breve tempus*, tantiſper. 2. Illâ poſitâ, concedo, *inquit*, quod infertur, neque eſt inconveniens. *Scilicet quòd homicidium commiſſum à laborante tali ignorantiâ non contrahat malitiam illam, quæ eſt propria peccati mortalis.*

*Notari hic meretur quod jubileus & ſecularis Philoſophiſmi annus fuerit* 1687 *quo primum Eximius D. Hennebel theſi ſua* 5 *Hiſtorico-Theologica in fine Philoſophiſmum jam maturum & jubilarem publico timoratorum Judicio propoſuit. Ex quo ulterius ſecutæ ſunt celebriores ejuſdem Denuntiationes & damnatio.*

PARS

# PARS TERTIA,

## CONTINENS

# EXCERPTA

## EX NONNVLLIS

## TRACTATIBUS M. SS.

## SEU

## DICTATIS SCHOLASTICIS.

### COLLEGIVM REMENSE.

1660. ANNO *circiter* 1660. P. BECHEFER *in Remenſi Jeſuitarum Collegio Theologiæ Profeſſor Philoſophiſmum apertè docuit in ſuis Dictatis. ſic enim in* Tractatu De Deo ut uno, Diſp. 1. De Exiſtentia Dei. Articulus V. Exiſtentia Dei invincibiliter ignorari poteſt. Notandum nos loqui de ſola ignorantia invincibili negativa.

Probatur jam Concluſio argumento contra Granadum,qui ipſam negat ſine ullo ferè ex Scholaſticis. Ponamus enim verum eſſe quod refert Spondanus ad a. 1344. de Puero à lupis rapto & educato, atque cum illis reptante& ululante uſque ad ætatem rationis capacem; quidni potuerit ille etiam rationis compos factus per aliquod tempus, imò totâ vitâ ſic diſtrahi ſolicitudine quærendi victum & in conſideratione rerum hujus mundi, ut in illo non excitentur ſpecies requiſitæ ad formandum diſcurſum illativum

illativum exiſtentiæ Dei. Atqui multi ſunt, non tantum inter Braſilos, quos ferunt ante adventum Luſitanorum nullum planè agnoviſſe numen (ſcilicet gentes omnino incultas) ſed etiam inter nos, adeò hebeti ingenio, ut licet ſint rationis ſimpliciter compotes, numquam in ipſis excitarentur ſpecies de Dei exiſtentia ſine monitore; quamvis aliis ſaltem mediocri ingenio præditis, & magis ſuper hunc mundum ſe reflectenti, ſtatim per ſe probabile Deum eſſe appareat. Unde ſic argumentor: Invincibilis eſt ignorantia iſtius veritatis, cujus nulla ſpecies vel cognitio in eo, qui eam ignorare dicitur, excitata eſt. Sed non videtur moraliter impoſſibile ut in iis hominibus tam rudibus, tam hebetibus & incultis nulla de Dei exiſtentia ſpecies vel cognitio per ſe excitetur; & quamvis excitetur aliqua, eſſe poterit tam obſcura, ut non ſufficiat tam hebetibus & incultis ingeniis ad inſpiciendam à ſe & perficiendam de Dei exiſtentia demonſtrationem, quæ à ſenſibus tam remota, ut eam, etiam explicante Doctore, percipere non valeant. Ita nobiſcum ſentiunt Molina, Victoria, Arriaga, &, quod magis mirere, ipſemet Granadus, qui eam ignorantiam in fine Diſputationis tandem admittit, ſaltem ad modicum tempus in uno aut altero valde rudi & in ſilvis enutrito. QUASI VERÒ NON DENTUR MULTI EJUSMODI VALDÈ RUDES INTER BARBARAS ET INCULTAS GENTES.

III. PARS.

Quid ſit ignorantia invincibilis.

*Idem poſt primam objectionem, quæ rem noſtram non attinet, ſequentes proponit ac reſolvit,*

Objicies 2. ad hoc ut quis careat ignorantia invincibili Dei, non requiritur ut queat demonſtrationem de Dei exiſtentia invenire, ſed ſufficit quòd poſſit excitari in ejus mente aliqua ea de re dubitatio. Atqui ad aliquale dubium hac de re excitandum, omnes

III. PARS.

omnes habent vim ſufficientem diſcurrendi: nam adhoc multò minor requiritur ingenii perſpicacia, quàm ad formandam demonſtrationem. Major probatur; quia excitato qualicunque hac de re dubio, tenebitur homo ulterius inquirere: quod ſi faciat, facilè vincet ignorantiam ſuam; ſi omittat, ignorabit quidem, ſed culpabiliter & vincibiliter.

Reſpondeo conceſſa majore, negando minorem: quia hoc ipſum, quod eſt excitari ſpeciem de Deo, eſt ſatis difficile ut multi rudiores talem ſpeciem à ſe ipſis incipere non valeant. Deinde excitata ſpecie de Deo debet etiam apparere obligatio ulterius inquirendi; alioqui ejus ignorantia, licet ſit vincibilis, non erit tamen culpabilis. Quærimus autem hîc, an poſſit Deus inculpabiliter ignorari, potius quàm invincibiliter. Quidni poterit Barbarus, ſuborto de prima cauſa tali dubio, dicere; Talis inquiſitio ſupra me eſt.

Ignorantia vincibilis ſed non culpabilis.

Objicies 3. Inde ſequeretur quòd talis homo ignorans invincibiliter Deum non peccaret mortaliter, nec dignus eſſet pœnâ æternâ, etiamſi graviſſima ſcelera committeret, etiam ſciens ſe malè facere. Conſequens videtur falſum: ergo & antecedens. Major probatur; quia peccatum definitur communiter: Dictum, factum, concupitum contra legem Dei; vel Formalis tranſgreſſio divinæ legis, ut docuimus ubidepeccatis. Atqui ille Deum ignorando & ejus legem non poſſet quidquam facere contra legem Dei formaliter, nec illam formaliter tranſgredi, ergo non peccaret.

Reſpondeo. Cùm, ut docuimus Tract. De peccatis, peccatum ſit actus formaliter moralis deficiens à regula ſua; duplexque ſit regula humanæ voluntatis, una propinqua, quæ eſt ipſa hominis operantis

ratio

ratio; altera remota, quæ eſt lex Dei æterna, ſeu III. PARS.
Ratio Dei dictans talem actionem dedecere naturam rationalem, cum adjuncta de ea divinæ voluntatis diſplicentiâ: ideò ſpectari poteſt peccatum, vel prout contrariatur rationi, ſecundum quod eſt conſiderationis philoſophicæ; vel prout contrariatur divinæ legi, ſecundum quod eſt conſiderationis Theologicæ. Peccatum philoſophicè ſpectatum definitur, actio moraliter mala. Spectatum verò theologicè definitur, Formalis tranſgreſſio divinæ legis, quæ eſt ipſa formalis offenſa Dei, ſeu fundamentum juſtæ indignationis & averſionis, quam habet Deus contra peccatum, ac formalis Dei contemptus, cujus gravitas fundat in actione moraliter mala dignitatem pœnæ æternæ & impoſſibilitatem condignæ ſatisfactionis exurgentem ex dignitate perſonæ graviter offenſæ, & vilitate offendentis.

Quibus ſuppoſitis & ibi probatis, Reſpondeo in forma ad argumentum, concedendo majorem; quia peccatum mortale ſimpliciter prolatum ſupponit pro gravi offenſa Dei; ſicut veniale ſimpliciter ſupponit pro peccato nullam habente gravitatem nec philoſophicam, nec theologicam: Negando minorem; quia licet talis peccaret graviter philoſophica gravitate malitiæ moralis, non tamen peccaret graviter theologica gravitate offenſæ divinæ ac contemptus Dei, qui in hoc ſitus eſt quod homo diligat creaturam ſupra Deum. Qui autem aut ignorat invincibiliter Deum, aut ejus offenſam, nec formaliter, nec virtualiter præfert creaturam Deo, cum talis prælatio non poſſit ſtare cum ignorantia alterius extremi, quæ fundat dignitatem pœnæ æternæ, talis dignitas non reperitur in actibus moraliter malis ſola malitia gravi philoſophica. Sicut enim malitia moralis

III. PARS.

ralis eſt fundamentum malitiæ Theologicæ & hæc illius complementum in ratione peccati ſimpliciter dicti; ita gravitas illius eſt fundamentum gravitatis iſtius & hæc illius complementum.

Inſtabis. Quid ergo fieret de illo homine qui moreretur poſt parricidium factum contra rationem, ſed cum ignorantia invincibili Dei legiſque divinæ?

Reſpondeo. Eum torquendum aliqua gravi pœna temporali uſque ad ſatisfactionem plenam; deinde ad Limbos cum pueris non baptizatis deſtinandum.

Inſtabis. Deus non odit aliquam culpam, niſi mortalem. Atqui odit graviter parricidium factum contra rationem, & cum ignorantia invincibili Dei; quia illud graviùs odit quàm mendacium. Ergo eſt culpa mortalis.

Reſpondeo, diſtinguendo eodem modo in majori & minori *li.* graviter, gravitate Philoſophicâ: nego Majorem & concedo Minorem: gravitate Theologicâ, concedo Majorem & nego Minorem. Sicut enim in objecto odii divini, v. g. in parricidio, duplex eſt malitia & gravitas, Philoſophica ſcilicet & Theologica, ita in Deo duplex eſt odium & diſplicentia de parricidio, & duplex ejus gravitatis odium: Philoſophicum volo, quod terminatur ad malitiam Philoſophicam; Theologicum verò, quod ad Theologicam. Illud eſt in Deo ante prohibitionem; iſtud verò, poſt; & gravitas prioris ſupponitur ad gravitatem poſterioris velut ejus fundamentum. Ideò enim Deus graviter prohibet parricidium, quia malitia gravis, quam habet contra rationem, Deo graviter diſplicet: ſicut homini juſto diſplicet peccatum alienum, etiamſi non ſit ejus offenſa. Quòd ſi poſt prohibitionem Dei & cum advertentia ad eam fiat parricidium illud, tunc eſt dignum

Parricidium Philoſophicum.

graviori

graviori odio & altioris ordinis. Nimis enim contemnit authoritatem divinam, qui ſciens parricidium graviter Deo diſplicere & à Deo graviter prohiberi, illud committit ipſo vidente & invito. III. PARS.

## IDEM COLLEG. REMENSE.

*Anno* 1670. *Pater Beguin in eodem Remenſi Jeſuitarum Collegio Theologiæ Profeſſor Tractatum de Peccatis dictavit, in quo eadem ferè tradit dogmata.* 1670.

*Quæſt.* 1. *Art.* 1. *ſic habet.* Dico primò Peccatum Philoſophicè ſpectatum rectè definitur, actus moraliter malus.

Dico 2. Peccatum Theologicè ſpectatum rectè definitur, Formalis tranſgreſſio legis divinæ . . . . . Ratio autem cur vocetur Theologicum eſt, quia definitur per habitudinem ad Deum, & quia ex eo præcisè intelligitur habere rationem offenſæ, ſive Deum formaliter offendere, quòd fiat ſcienter contra legem Dei. Per id enim formaliter peccator offendit Deum, per quod ſciens ac volens dat illi juſtam ac rationabilem cauſam averſionis & indignationis.

*Quæſt.* 4. *Art.* 2. *ubi de diſtinctione peccati mortalis à veniali ſic habet.* Notandum in peccato mortifero duplicem conſiderari poſſe malitiam, ſive inordinationem, ut jam ſuprà obſervavimus ex S. Thoma: unam per ordinem ad operantem, per quam violatur dictamen rationis, alteram, in ordine ad Deum, per quam violatur lex divina, & actus eſt quidam contemptus Dei, adeòque ipſius offenſivus. Utraque quidem eſt moralis; ſed prima Philoſophicè, altera Theologicè. Tamen ad diſtinctionem prior ſimpliciter appellatur malitia moralis, poſterior

III. PARS. rior dicitur malitia offenſæ divinæ, quæ noſcitur ex prævaricatione legis, ut antè explicuimus Quæſt. 1. Art. 1.

Dico. Formalis & immediata ratio conſtitutiva peccati mortalis, ejuſque à peccato veniali diſtinctiva, eſt quòd ſit formalis tranſgreſſio legis divinæ graviter obligantis: ſive quâ præfertur bonum creatum amicitiæ Dei. Per formalem tranſgreſſionem hìc intelligitur violatio legis poſitivæ, vel ſaltem æternæ, quæ fit cum plena libertate & advertentia rationis ad diſplicentiam & gravem prohibitionem Dei. Gravis autem prohibitio dicitur ea quæ fit ſub pœna gravis indignationis & inimicitiæ divinæ; unde contingit, ut qui violat ſic legem graviter obligantem præferat bonum aliquod temporale, cujus amore peccat, dilectioni Dei. Quod ſi in agendo ſit tantùm ſemiplena libertas & levis advertentia ad prohibitionem offenſamque divinam, vel præceptum ſit tantùm leviter obligans, id eſt, non uſque ad diſſolutionem amicitiæ divinæ, tunc per ſe loquendo, committitur tantùm peccatum veniale. Dico, *per ſe*, quia per accidens poteſt quis ex errore vel ignorantia peccare mortaliter, faciendo id quod putat graviter eſſe prohibitum; cùm tamen reipsà obligatio ſit levis. Sicut etiam ex oppoſito poteſt quis per accidens leviter tantùm peccare contra gravem prohibitionem, putans bonâ fide, vel invincibiter ignorans, etiam graviter obligare.

Objicies primò. Scriptura 1. Corinth. c. 6. & SS. Patres paſſim ſignificant fornicarios, adulteros, fures &c. regnum Dei non poſſeſſuros. Ergo ex mente Scripturæ & SS. Patrum fornicatio, adulterium &c. ſunt peccata mortalia, quamvis fiant cum ignorantia offenſæ divinæ.

Reſ-

Reſpondeo primò, ſimili argumento probatum iri quod etiam ſine ulla advertentia ad malitiam iis peccatis mortaliter peccaretur. III. PARS.

Rep. 2. Scripturam & Patres ita loqui de iis & ſimilibus peccatis, quando fiunt cum advertentia ad Deum prohibentem, non autem ſi contingeret ea fieri ſine advertentia ad offenſam Dei. Quia autem ordinariè & ferè ſemper in omni peccato reperitur cognitio Dei & ejus offenſa, ideò abſolutè & ſimpliciter pronuntiant eos, qui talia agunt, incurrere pœnam damnationis. Solemus enim loqui de rebus ut ſunt per ſe & ordinariè, non autem ut ſunt rarò & per accidens.

Objicies 2. Homicidium vel adulterium v. g. factum ſine advertentia ad tranſgreſſionem legis divinæ & offenſam Dei, eſt malum morale grave; Ergo mortale & dignum pœnâ æternâ.

Reſp. Eſt grave gravitate malitiæ Philoſophicæ, concedo; Theologicæ, nego Antecedens & Conſequentiam: non enim eſt in illo caſu peccatum mortale ſimpliciter dictum, ſed tantùm mortale fundamentaliter, quatenùs malitia moralis gravis eſt fundamentum, cauſa & indicium gravis prohibitionis Theologicæ, quæ illam præſupponit. Aliunde tamen ejuſmodi peccatum grave contra regulam rationis non debet appellari peccatum veniale; quia iſtud ſimpliciter peccatum excludit omnem gravitatem tam Philoſophicam quàm Theologicam. Debet igitur vocari peccatum grave gravitate Philoſophicâ

Inſtabis primò. Deus non odit graviter niſi peccata quæ ſunt mortalia. Atqui graviter odit parricidium etiam factum ſine advertentia ad offenſam & prohibitionem Dei. Ideo enim Deus graviter prohibet

III. PARS. hibet homicidium, quia illud odit graviter: Ergo antecedenter ad illam eſt peccatum mortale.

Reſpondeo cum De Lugo diſtinguendo Majorem: non odit graviter peccata, niſi quæ ſunt mortalia vel formaliter, vel fundamentaliter, concedo: Niſi quæ ſunt mortalia formaliter, nego. Homicidium autem ante Dei prohibitionem & rationem offenſæ eſt mortale, non quidem formaliter, ſed fundamentaliter. In hoc enim differt à mendacio, v. g. quod in-eſt culpa gravis contra rationem, atque adeò digna quam Deus prohibeat graviter: quâ prohibitione factâ & cognitâ jam fit culpa mortalis formaliter, quæ priùs erat mortalis fundamentaliter.

Inſtabis 2. Deus prohibet homicidium ſub pœna æternæ damnationis. Ergò antecedenter ad prohibitionem judicat illud eſſe dignum pœnâ æternâ.

Reſp. diſtinguendo Antecedens. Deus prohibet homicidium ſub pœna damnationis ei, qui legem divinam ſcienter violaverit, concedo: qui non ſcienter violaverit, nego. Diſtinguo pariter Conſequens: Ergo antecedenter ad prohibitionem Deus judicat homicidium eſſe dignum morte æternâ accedente violatione voluntariâ divinæ legis, concedo Conſequens: ſeclusâ illâ, nego Conſequens. Unde antequàm intelligatur prohibitio cognita & ratio offenſæ divinæ in homicidio, homicidium cognoſcitur eſſe mortale fundamentaliter, non verò formaliter. Judicat quippe Deus homicidium de ſe eſſe ita diſconveniens naturæ rationali, ut dignum ſit prohiberi ſub pœna æterna ab eo incurrenda, qui legem contempſerit.

Inſtabis 4. Homicidio ſpectato ſecundùm ſe ante prohibitionem debetur aliqua pœna: non temporalis, cùm dignum ſit pœnâ graviori quàm peccatum veniale. Ergo æternâ.

Reſp.

Reſp. negando Minorem. Nam pœna illa, quam Deus vult infligere homicidio facto ſine cognitione divinæ offenſæ, etſi ſit temporalis, tamen veriſimile eſt eſſe graviorem quacumque aliâ correſpondente cuicumque peccato levi. III. PARS.

Objicies 5. Ex noſtra ſententia ſequitur graviſſima quæque ſcelera, ut furta, homicidia, adulteria, ſæpè non eſſe peccata mortalia; & conſequenter non eſſe obligationem illa declarandi in Confeſſione. Conſequens autem eſt abſurdum, & contra communem Fidelium ſenſum. Ergo &c. Sequela probatur: nam cùm inter infideles multi ignorent Deum, vel neſciant peccata ipſi diſplicere; atque etiam inter Chriſtianos plerique non advertant ad prohibitionem divinam; illi non peccabunt mortaliter. nec ob ſcelera privabuntur gratiâ.

Reſp. negando ſequelam. Nam primò quod ſpectat ad Fideles & Chriſtianos moraliter eſt impoſſibile, ut, quando peccant deliberatè, non veniat illis in mentem cogitatio offenſæ divinæ. Primum enim quod illis occurrit antequam peccent, non eſt malitia moralis, ſive difformitas cum regula rationis, ſed prohibitio divinæ legis dictante illis interiùs conſcientiâ Deum offendi in eo quod faciunt. Quam ob cauſam non eſt opus ut Confeſſarii pœnitentes hac de re interrogent, cùm ſecùs contingat tantùm per accidens & rarò; ſed meritò præſumere poſſunt eos peccaſſe cum advertentia ad offenſam Dei.

Quod attinet ad infideles, dico vix ullum eſſe inter illos, qui numen aliquod ſaltem confusè non agnoſcat, cui peccata diſplicent, ut teſtatur ipſe Tullius Lib. De Legibus. Quin & multi graveſque Theologi negant in ratione utentibus eſſe poſſe ignorantiam Dei invincibilem; quod refert & ſequitur

Gra-

III. PARS. Granado. Sed eſtò, nonnulli Deum aliquo brevi tempore invincibiliter ignorent, ſpectat tamen ad illius providentiam, qui *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, non permittere ut quiſquam diu adultus vivat, aut ut moriatur, quin habuerit aliquam notitiam Divinitatis, aut ſaltem ſuſpicionem obligantem ad inquirendum, vi cujus aut ad Deum convertatur, aut, ſi noluerit, condemnetur. Ad extremum dici poteſt fortè, præter iſtam cauſam (*quòd videlicet ignorent legem divinam*) multos ex infidelibus non damnatum iri pœnâ ſensûs æternâ, quamvis viſione Dei cariturì ſint, *ſicut infantes qui ſine Baptiſmo deceſſerint.

## COLLEGIUM DOLANUM.

*Anno 1671. P. Regis in Dolano Comitatûs Burgundiæ Collegio Societatis Jeſu Theologiæ Profeſſor, hæc Diſcipulis ſuis ſcribenda dictavit in Tractatu cui Titulus :* Diſputationes Theologicæ De Vitiis & Peccatis. Diſputatione 2. De peccatorum Diviſionibus ſigillatim. Quæſt. 1. De peccato Philoſophico & Theologico.

1671.

Peccatum Philoſophicum vocatur illud, quod fieret ab homine vel invincibiliter Deum ignorante, vel de Deo, aut ejus lege nullo modo cogitante, operante tamen contra legem rationis indicantis.

Artic. II- De Peccato Philoſophico & ejus gravitate. Dico primò. Datur peccatum Philoſophicum, ſeu peccatum quod eſt purè malum morale. Probatur. Peccatum Philoſophicum eſt actus liber creaturæ rationalis, vel Deum invincibiliter ignorantis, vel ad eum aut legem ejus non advertentis, qui naturali rationi adverſatur. Sed datur & poteſt dari actus hujuſmodi. Ergo. Nam etiamſi nullus eſſet Deus,

per

per impoſſibile adhuc homo exiſtens poſſet agere contra dictamen rationis, mentiri, ſurari, &c. Ergo & peccare. QUIDNI ETIAM NUNC NIHIL ATTENDENDO AD DEUM AUT LEGEM ILLIUS? Foret autem verum peccatum, quia haberet totam quidditatem peccati, diſſonantiam ſcilicet cum regula rationis. Eſſet autem tantum contra legem indicantem, non verò contra legem imperantem: nullus enim in eo caſu agnoſceretur ſuperior, qui per latam legem cum intentione obligandi præcepiſſet aut prohibuiſſet talem actum, neque eſt de ratione peccati ut ſit contra legem ſuperioris, alioqui Deus, qui nullum habet ſuperiorem, non peccaret mentiendo: & inanis eſſet illa diviſio in objecta, quæ ideo mala ſunt quia prohibita, & ea quæ ſunt intrinſecè mala.



Dico 2. Peccatum illud poſſet eſſe mortale in genere peccati Philoſophici. Prob. gravis deordinatio contra regulam rationis juxta prudentum æſtimationem, eſt peccatum grave. Illa autem poſſet eſſe hujuſmodi. Dixi, *in genere peccati Philoſophici:* quia ſi per mortale intelligatur quod affert mortem animæ, non poſſet dici mortale in eo ſenſu. ſed hic nomine mortalis intelligimus grave juxta menſuram deordinationis expenſam à præcedenti judicio.

Dico 3. Illud peccatum non eſſet offenſa Dei formaliter. Ita De Lugo diſp. 5. de Incarnat. ſect. 5. contra Salas Tract. 13. diſp. 16. ſect 22. Prob. occidens hominem, quem ignorat invincibiliter eſſe patrem, facit quidem homicidium, non facit autem formaliter parricidium. Ergo ignorans invincibiliter Deum & legem æternam, faciens tamen aliquid grave contra regulam rationis, peccat quidem contra rationem peccato mortali philoſophico, non autem

forma-

III. PARS formaliter contra Deum. Antecedens, eſt certum: nec poteſt illa occiſio dici parricidium, niſi materialiter. Prob. autem conſeq. Propterea ille non fit reus parricidii formalis, quia ſine cognitione & advertentia ad patrem non poteſt eſſe formalis offenſa patris; Ergo pariter ſine cognitione & advertentia ad Deum non poteſt eſſe formalis offenſa Dei, ſed tantùm materialis, quia natura humana eſt quædam participatio naturæ divinæ: unde qui unam offendit, peccat quoque materialiter in alteram. Ratio autem univerſalis eſt, quia omnis offenſa debet eſſe voluntaria; nihil autem voluntarium eſſe poteſt quod non fuerit præcognitum.

Confirmatur. Siquis invincibiliter ignoraret mendacium eſſe contra rectam rationem, non peccaret contra eam mentiendo, ergo nec contra Deum aut legem ejus, ſi ignoret penitus. Ratio eſt quia offendere aliquem eſt facere aliquid quod illi diſpliceat, & de quo meritò conqueri poſſit propter contemptum & læſionem ſui honoris vel juris. Similiter nemo agit moraliter contra legem, ſi legem prius non novit, ut conſtat ex communi conſenſu, & venia ſtatim data ei, qui talem ignorantiam probaverit.

Dico 4. Peccatum Philoſophicum nec induceret privationem gratiæ nec puniri deberet pœnâ æternâ, atque ita non eſſet mortale in ensu communiter uſurpato. Ita de Lugo, Coninck Prob. quia peccatum Philoſophicum non eſt averſio à Deo, quæ ſola debet puniri pœnâ æternâ, ut docet S. Thomas. 1.. 2. q. 20. art. 3. ubi dicit: quod ſi poſſet eſſe converſio ad bonum commutabile ſine averſione à Deo, quamvis eſſet gravis deordinatio, non foret peccatum mortale. Prob. anteced. Tunc tantùm eſt averſio à Deo, cum amor creaturæ eſt ſaltem inter-

interpretativè ſupra Deum; ſed ſine cognitione Dei III. PARS.
non poteſt amor creaturæ eſſe ſupra Deum: quia amor eſt eſſentialiter voluntarius, & repugnat amor unius ſupra aliud cum invincibili ignorantia alterius extremi. Quomodo enim fieret comparatio inter extrema, ſi eſſent incognita.

Objicies primò. Si ratio offenſæ divinæ non reperiatur in peccato cum Dei ignorantia, aut actuali inadvertentiâ perpetrato, ſequeretur graviſſima quæque peccata etiam à Fidelibus admiſſa non fore mortalia. Conſeq. eſt falſum, Ergò & Ant. Prob. ſequela. Multi enim Fideles, & præſertim ruſtici, aut ii, qui gravibus peccatis diu innutriti fuerunt, vix cogitant de Deo, imò ſæpè non cogitant quando peccant actualiter. Nemo tamen eos excuſaverit à mortali, hoc eſſet nimis periculoſum.

Reſpondeo. Illa peccata forent gravia gravitate Philoſophicâ, ſi forent cum advertentia ad regulam rationis, non forent tamen gravia gravitate Theologicâ, hoc eſt, non forent mortalia eo ſeuſu, quo communiter mortale accipitur. Unde ℞. 2. Diſtinguo ſequelam, Metaphiſicè loquendo, poteſt ita contingere, ut nullo prorsùs modo attendatur ad Deum: atque ita non peccetur niſi materialiter contra ipſum. Moraliter tamen loquendo, id non poteſt contingere in homine Chriſtiano; quia cùm nihil umquam audiat de peccato, quin ſemper proponatur tamquam Dei offenſa, non poteſt illud ſibi repræſentare aliter quàm ut Dei offenſa eſt, & hanc habet ſaltem confuſam cogitationem, quæ ſufficit ad mortale. Si tamen nullam prorsùs de Deo haberet cogitationem, non peccaret niſi peccato Philoſophico, propter quod diſpliceret Deo graviter, ſed gravitate Philoſophicâ, qualem ſcilicet Philoſo-

III. PARS phi conſiderant, non autem diſpliceret graviter diſplicentiâ Theologicâ, quæ eſt conſideratio gravitatis Theologicæ, & naſcitur ex offenſa perſonæ divinæ; vel ex contemptu illius mandatorum. Unde non indignaretur graviter indignatione gravi Theologicâ, ſed tantùm Philoſophicâ & longè inferioris ordinis, quæ proinde non afferret gratiæ privationem. Quare talis peccator eſſet Deo odibilis, odio diſplicentiæ, quia Deus non poteſt non ſibi diſplicere in peccato, quod in hoc caſu odiſſet tamquam malum morale. Non eſſet autem odibilis odio inimicitiæ, quod ſupponit contemptum aliquem aut violationem honoris factam ab eo, qui debet rationali odio haberi, ad quod non ſufficit poſuiſſe quamcumque cauſam indignationis, ſed eam, quæ ſimul ſit offenſa perſonæ odio habentis.

Inſt. Ergo debet illa circumſtantia advertentiæ ad Deum explicari in Confeſſione. Conſeq. eſt contra praxim Fidelium, cùm ne à Confeſſariis quidem de ea interrogetur. ℞. Neg. ſeq. quia non poteſt non eſſe talis advertentia in homine Chriſtiano propter rationem proximè allatam. Imò vix eſt ullus infidelis adeò rudis, præſertim ſi aliquamdiu vixerit, in quo non ſit aliqua ſaltem confuſa cognitio Dei, & legis ſupremi alicujus Domini quam violat, cùm advertit ſe graviter peccare contra rationem.

Urgebis iterum. Peccatum illud v. g. homicidium eſſet gravius veniali admiſſo ab homine Chriſtiano, nec poſſet dici veniale: Ergo mortale. ℞. Eſſet gravius gravitate Philoſophicâ & materiali; non tamen gravitate Theologicâ, & formali. Imò grave Philoſophicum quantumcumque creſcat, numquam æquabit minimum veniale Theologicum, quia ſunt diverſi ordinis. Quam verò pœnam mereatur, non

eſt

eſt noſtrum dijudicare quid Deus facturus eſſet in III. Pars.
ea ſuppoſitione Metaphyſica. Certum tamen eſt dignum fore graviſſimis pœnis gravitati illius deordinationis reſpondentibus.

## COLLEGIUM REMENSE.

*Anno* 1677. PATER AUDRY *in eodem Remenſi Societatis Collegio Theologiæ Profeſſor, ejuſdemque nuper Rector, eandem doctrinam docuit in* TRACTATU DE PECCATIS. 1677.

Peccatum, *inquit*: Philoſophicè ſpectatum eſt actus liber moraliter malus, ſeu difformis naturæ rationali & rectæ rationi. Theologicè ſpectatum, eſt actus malus oppoſitus legi divinæ.

Immediata & formalis ratio conſtitutiva peccati mortalis ejuſdemque à veniali diſtinctiva eſt, quòd ſit tranſgreſſio formalis divinæ legis graviter obligantis. Per formalem legis divinæ transgreſſionem intelligitur violatio divinæ legis vel poſitivæ, vel ſaltem æternæ, quæ fiat cum plena libertate & advertentia rationis ad diſplicentiam Dei & ejus prohibitionem, quæ tunc gravis eſt, cùm fit ſub interminatione gravis indignationis & inimicitiæ divinæ. Quòd ſi violatio divinæ legis fiat ſine ſufficienti advertentia aut libertate, aut præceptum non ſit graviter obligans, tunc non erit per ſe niſi veniale peccatum.

Quodlibet peccatum mortale hoc habet, ut ex parte objecti omnino repugnet illud eſſe cum actu perfecto dilectionis Dei ſuper omnia. Sed peccatum homicidii gravis cum advertentia ad rationem & oppoſitionem cum natura rarionali, ſeclusâ cognitione offenſæ divinæ, non repugnat eſſe cum actu perfecto dilectionis Dei; Ergo non eſt peccatum

III. PARS. mortale. Idem dic de omnibus aliis.

Objicies. Scriptura Sacra 1. ad Corinth. 6. ſignificat neque fornicarios, neque idolis ſervientes, neque adulteros regnum Dei poſſeſſuros. Ergo &c.

Reſpondeo ad Scripturam tales appellari peccatores & eſſe: quia ſupponit Apoſtolus eos, qui talia committunt, ſcire quòd hæc ſint à Deo prohibita, & verè ſciebant Corinthii, quos alloquitur.

Homicidium antecedenter ad tranſgreſſionem & prohibitionem Dei eſt malum grave gravitate Philoſophicâ, concedo; Theologicâ, nego.

Homicidium prohibetur ſub pœna æternæ damnationis infligendâ ei, qui Legem Dei ſcienter violaverit, non aliter.

Secundum abſurdum quod ſequeretur eſt, graviſſima ſcelera non eſſe peccata mortalia. Sunt enim multa, quæ fiunt ſine advertentia ad offenſam Dei; vel quia ignoratur Deus, vel quia neſcitur an peccata ipſi diſpliceant; vel quia, ſi ſcitur, non eſt tamen advertentia actualis.

Reſpondeo negando ſequelam. Eſt enim moraliter impoſſibile, ut fidelibus non occurrat prohibitio divinæ legis, quoties eſt occaſio peccandi. Quod ſpectat ad infideles & barbaros, ſi verum eſt quod docui cum graviſſimis Theologis in materia de Deo, ſecundùm legem ordinariam impoſſibile eſſe moraliter, ut adultus ratione utens laboret ignorantiâ Dei invincibili per longum tempus; multò minùs totâ vitâ fieri non poterit, quin confuſam ſaltem habeat notitiam de ejus offenſa. Si tamen contingeret mori aliquem in hoc ſtatu, careret quidem viſione Dei, ſicut infantes ſine Baptiſmo decedentes; non damnaretur tamen pœnâ ſenſûs æternâ.

**An, & quæ advertentia rationis ad pecccatum requiratur.**

Reſp.

Reſpondeo ad peccatum mortale requiri plenam III. PARS.
& perfectam malitiæ cognitionem ut moralis eſt : ad veniale ſufficere ſemi-plenam & imperfectam, ſive ſub ratione mortalis, ſive ſub ratione venialis. Probatur prima pars. Non debet incurri malitia mortalis, utpotè conſummata in ordine ad effectus mortales pœnæ & damni, niſi vi electionis ut ſic completæ. Ergo niſi vi advertentiæ omnino perfectæ mortalis malitiæ, quà mortalis eſt.

## COLLEGIUM CAMBERIENSE.

*Anno* 1682. *P. Roſe in Collegio Camberienſi Societatis Jeſu, Theologiæ Profeſſor, in Tractatu De Peccatis: Diſput.* 1. *ſect.* 1. *hæc habet.* Ut peccatum ſit mortale, debet plenè & perfectè cognoſci malitiam eſſe gravem, quia alioquin non eſſet plenè voluntaria malitia gravis ut talis, atque adeò neque culpabilis. At verò ad peccatum mortale, quod nempe addicit pœnæ æternæ, requiritur plena & perfecta deliberatio haud dubiè, plenus & perfectus libertatis uſus : eſſet enim à ratione alienum exiſtimare, hominem evadere pœnâ æternâ dignum, agendo ex qualibet conſideratione imperfecta &c.

*Et poſteà reſpondens objectionibus.* Qui nihil apprehendit grave in objecto, aut hoc apprehendit leve, aut leviter & inſufficienter ad peccatum lethale.

*Mox ad alias objectiones & inſtantias ex Paulo olim contumelioſo & perſecutore, qui ignorans fecit; ex Judæis :* Si cognoviſſent &c. *Ex iis, qui, dum interficiebant Apoſtolos, putabant obſequium ſe præſtare Deo; Ex Hæreticis errori adhærentibus, quia veritatem ignorant &c.*

Reſpondeo generatim, *inquit*, objectum malum,

III. PARS. quod non eſt ullo modo actualiter cognitũ, non eſſe actu voluntarium & liberum, atque adeò non committi circa illud peccatum mortale & imputabile. Properea neminem poſſe, neque proinde teneri conſiderare, niſi putet de tali conſideratione ejuſque neceſſitate . . . . . *Deinde de Paulo, Judæis, & interfectoribus Apoſtolorum, quæ ſpeciatim reſpondet, ad id demum reducit :* Tantum itaque in illorum actu malitiæ moralis, ſeu imputabilis fuit, quantum cognitionis; & non amplius. *Cætera eludit.*

*Poſt præmiſſa, hanc ſibi proponit quæſtionem.* An ignorantia ſecundùm ſe ſit peccatum. Præmitto, *inquit*, ignorantiam aliam eſſe vincibilem, aliam eſſe invincibilem. Vincibilis eſt ea, quæ vinci poſſet, ſed ſi fieret quidquid poteſt & debet fieri. Invincibilis eſt illa, quæ vel nullâ diligentiâ humanâ tolli poteſt, & dicitur abſolutè invincibilis; vel ſi adhibitâ diligentiâ tolli poſſet; non debet tamen tolli, eò quòd ratione probabili ita judicetur. His præmiſſis, Quæres, an omnis ignorantia invincibilis, etiam ea, quæ verſatur circa jus naturale, excuſet à peccato. Reſpondeo affirmativè.

*In ſect. 2. objectionem ſibi proponit ſolvitque eâdem ferè ratione ac ejuſdem Collegii Profeſſor cujus inferius verba referuntur ad ann.* 1690.

*Ad hanc quæſtionem.* Quid requiratur ad peccatum ex parte voluntatis, *ſic reſpondet.* Dico ad peccatum propriè dictum requiritur ex parte voluntatis ut turpitudo actus ſit voluntaria &c. 2. Requiritur vera libertas, adeò ut voluntas ſit proximè indifferens ad oppoſitum, id que non tantùm indefinitè, ſed ſingulariter hic & nunc . . . . 2. pars de libertate patet : quia quod non eſt verè liberum non eſt imputabile. Non eſt autem verè liberum id ad cujus oppoſitum

poſitum voluntas non eſt proximè indifferens. Ergo &c. ut autem voluntas ſit proximè indifferens ad oppoſitum requiritur. 1. Extremorum ea cognitio quæ ſufficiat ad librandam voluntatem. 2. Carentia impedimenti externi in voluntate. Nam licet adſit ſufficiens extremorum cognitio, ſi contingat imaginationem ita eſſe inflammatam, vel appetitum ſenſitivum ita eſſe vehementem, ut voluntas rapiatur & impotens reddatur ad oppoſitum, voluntas non eſt verè libera, adeòque non peccatur; licet interdum id præſumatur ab hominibus, qui ſæpè falluntur, ſicut ſcrupuloſi. III. PARS.

Diſput. 2. De Peccato in ſpecie. Agemus 1. De Philoſophico. 2. De Theologico. Quæſt. 1. De Peccato Philoſophico.

Dico, poteſt dari peccatum Philoſophicum, hoc eſt actus aliquis liber contra ſolam naturam rationalem, & nullomodo contra Deum. *Tale non admittit niſi raro in Chriſtianis:* non videtur tamen, *inquit*, poſſe negari quin in ſuppoſitione ſaltem metaphyſica, ſeu in caſu qui vel numquam vel rarò contingit, poſſit evenire ut Chriſtianus aliquis contra rationem agat ne confusè quidem de Deo cogitans (*Quaſi verò id rarò contingat. Sed quid, quod idem Profeſſor in ſuperius relatis docet*, ut peccatum ſit mortale debet plenè & perfectè cognoſci malitiam eſſe gravem. *Et in infra ex eo referendis:* Dico ad peccatum mortale requiritur advertentia malitiæ gravis aut periculi illius, eaque actualis & plena. *Sed pergit continuò.*)

Chriſtianus, inquam, (*ait ille.*) Nam quod attinet ad infideles licet cognitio aliqua Dei ſuperioris prohibentiſque ea quæ mala ſunt, ſit ita impreſſa homini, eique quodammodo innata, ut vix ullus

plenam

III. PARS. plenam de Deo & de ejus lege ignorantiam habeat aut habere poſſit, ſaltem diuturnam; non videtur tamen dubium, quin poſſit infidelis aliquis inculpabiliter carere pro aliquo tempore cognitione Dei ſufficiente ad peccatum Theologicum, adeoque quin poſſit eo tempore agere contra rationem, nullo pacto interim de Deo ejuſque lege cogitans.

*Plura ſibi objicit quæ non aliter ſolvit quàm alii Philoſophiſtæ. Hoc inter alia.* Dices non poteſt dici quo in loco puniendi eſſent qui peccaſſent ſolo peccato Philoſophico. Ergo nullum poteſt dari peccatum Philoſophicum. Reſpondeo. Conceſſo antecedente, nego conſequentiam: quia Deus ut autor naturæ rationalis offenſæ puniret peccatorem pro gravitate peccati illius, & in loco quem illi placeret eligere. *Etenim, ut objectionem ſubſequentem ſolvens ait*; violatio naturæ rationalis diſpicet Deo, non ut propria ejus injuria & offenſa, ſed ut injuria & offenſa creaturæ: taliſque peccati autorem non odit ut ſuum inimicum, ſed tantum ut malum moraliter.

Cap. 2. De effectibus peccati Philoſophici. Sect. unica. Quam pœnam mereatur.

Dico peccatum Philoſophicum quatenus grave non extinquit Caritatem divinam, neque gratiam: Quia ille actus non extinguit caritatem neque gratiam divinam, qui poteſt ſtare cum amore Dei ſuper omnia, adeòque cum gratia. Sed peccatum Philoſophicum &c. Ergo &c.

Probatur 2. Peccatum Philoſophicum non meretur pœnam æternam: quia tota ratio cur peccatum Theologicum mortale pænâ æternâ dignum ſit, eſt quia eſt continens gravis Dei contemptûs vel for-

malis

malis vel virtualis. Sed peccatum Philoſophicum non ſe habet hujuſmodi. III. PARS.

*Poſt multa quæ ipſi ferè ſunt communia cum reliquis Philoſophiſtis:* Dices inter peccata Philoſophica eſſent quædam mortalia: Ergo. Conſequens patet, quia peccatum mortale infert animæ mortem per gratiæ exſpoliationem in qua conſiſtit vita ſupernaturalis animæ. Probatur antecedens. Inter peccata Philoſophica eſſent gravia veniali Theologico graviora. Ergo mortalia. Conſequens patet; nam ſi eſſent graviora veniali Theologico, eſſent objectum gravis odii divini: quia odium divinum eſt proportionatum gravitati peccati. Antecedens eſt certum. Nam adulteria Philoſophica eſſent graviora Theologico veniali.

Reſp. Diſting. Antec. ac ejus probationem. Eſſent quædam peccata Philoſophica veniali Theologico graviora, gravitate materiali & Philoſophica, quatenus in materia gravi repugnarent naturæ rationali, concedo. Gravitate Theologica & formali, nego: quia commiſſa eſſent ſine advertentia ad Deum, ac proinde non eſſent offenſæ Dei graves. Unde nego illa forè gravia, hoc eſt, mortem animæ illatura per gratiæ exſpoliationem. Nego ſimiliter illa fore objectum gravioris odii divini, quàm veniale Theologicum. Ratio negandi eſt, quia malitia peccati Theologici eſt ordinis ſuperioris; malitia autem peccati Philoſophici eſt ordinis inferioris, adeòque ſunt incommenſurabiles, ac proinde quantumcunque concipiatur creſcere malitia Philoſophica nunquam aſſurget ad gravitatem venialis Theologici, etſi materia illius ſit gravis; imò gravior materia iſtius.

Ad id quod dicitur peccata Philoſophica graviora Philoſophicè peccato veniali Theologico fore obje-

III. Pars ctum gravioris odii divini: diſtinguo: odii divini ſuperioris ordinis, vi cujus Deus odio haberet peccatum Philoſophicum ut ſibi illatam injuriam, ex cujus intuitu hominem ut inimicum ſpoliaret gratiâ & caritate, nego. Odii inferioris ordinis, vi cujus Deus odio haberet peccatum Philoſophicum ut injuriam naturæ rationalis & creaturæ, concedo.

Dices. Deus puniret peccatum Philoſophicum graviùs quam veniale Theologicum. Ergo pœnâ æternâ. Antecedens videtur certum. Quis enim neget Deum gravius puniturum adulterium Philoſophicum, quàm mendacium Theologicum leve? conſeq. patet.

Reſp. nego anteced. Gravitas pœnæ debet accommodari gravitati damni illati per peccatum. Atqui damnum illatum per peccatum Philoſophicum non eſt infinitum.

*Idem Profeſſor de peccato mortali differens, diſcutienſque, Quid requiratur ad peccatum mortale ex parte intellectus: quid ex parte voluntatis, hæc docet de prima quæſtione.*

Dico ad peccatum mortale requiritur advertentia malitiæ, gravis, aut periculi illius, eaque actualis, & plena .... nihil voluntarium & liberum quin cognitum ..... Tertia pars aſſertionis, quod nempe ad peccatum mortale requiratur advertentia actualis, adeò ut non ſufficiat interpretativa, antequam probetur; obſerva tunc eſſe advertentiam malitiæ actualem, quando quis hic & nunc advertit malitiam ſui actus; tunc verò eſſe advertentiam interpretativam quando quis potuit & debuit advertere, non advertit tamen hic & nunc malitiam ſui actus. His obſervatis probatur 3. pars aſſertionis. Quia debeo advertere actu malitiam, & debeo actu cogitare me debere

advet-

adyertere malitiam, ut poſſim eam advertere ad hoc ut malitia poſſit dici mihi voluntaria. Atqui malitia peccati debet eſſe actu voluntaria. Ergo &c. III. Pars

Quarta pars aſſertionis, quòd nempe ad peccatum mortale requiratur advertentia plena & perfecta malitiæ; . . . . . Probatur à poſteriori: Quia ſolent Scriptores excuſare à peccato mortali eos, qui peccant ex vehementi paſſione aut hebetudine. Ergo ex defectu plenæ advertentiæ. Ergo &c. Probatur 2. à priori; Quia ut aliquid ſit perfectè peccatum grave, debet eſſe voluntarium. Atqui non eſt perfectè voluntarium, niſi adeſſet plena malitiæ advertentia.

*Inter ſolvendas objectiones notandum, quomodo in ſubſequenti Sciptura loca interpretetur circa peccata ignorantia.*

Dices: Dantur peccata mortalia occulta, dantur peccata mortalia ignorantiæ, dantur peccata mortalia, quæ non pungunt conſcientiam. Sed ad ejuſmodi non requiritur advertentia plena. Major eſt certa: *Ab occultis meis munda me*, ait David. *Nihil mihi conſcius ſum &c.* ait Apostololus: *Ignorantias meas ne memineris Domine*, ait David, *Peccator cùm in profundum venerit, contemnit*, ait Apoſtolus, *imò Salomon.* Minor eſt certa. Nam quod occultum eſt non advertit, neque quod ignoratur.

Reſp. Concedo Majorem: nego Minorem, ad cujus probationem reſpondeo, peccata dici occulta, ignorata, aut non pungentia, non defectu plenæ advertentiæ antecedentis, quando nempe commiſſa ſunt, ſed tantùm ex defectu plenæ advertentiæ conſequentis poſtquam commiſſa ſunt. Obliviſcimur non rarò peccatorum noſtrorum, aut dubitamus an conſenſerimus. & quando contingit peccatorem in profun-

III. PARS. profundum venire, non dolet de peccatis ſuis; cognoſcit tamen ſe peccaſſe.

## IDEM COLLEGIUM CAMBERIENSE.

ANNO INCERTO. *Hanc eandem quæſtionem:* Quid requiratur ad mortale ex parte intellectûs, *verſat alius quidam Camberienſis Theologiæ Profeſſor in Tractatu De Peccatis ...... art.* 4. *Quo anno; & an à P. Morié, an à P. Pernel traditus ſit, non ſatis meminit, qui illum ex Jeſuitæ dictantis ore excepit.*

Dico primò, *inquit ille*, Si intellectus non cogitat, ne dubitativè quidem, malitiam aut prohibitionem, neque reflectit ſe teneri ad inquirendum, nullum eſſe peccatum neque mortale, neque veniale. *Adductis vulgaribus apud Philoſophiſtas probatiunculis, mox ſibi objicit.*

Objicies primò. Sequeretur homines excuſari à peccatis graviſſimis, quod eſt abſurdum. Reſp. Nego eſſe abſurdum, ſi non ſit cognitio malitiæ, vel dubium de illa, vel ſaltem de obligatione ulteriùs inquirendi an ſit malum.

Dices: Multi peccant ex conſuetudine, non advertentes ad id quod faciunt. Reſpondeo eſſe ſemper aliquam advertentiam, quando peccant, ſaltem exiguam. Si nulla ſit, non peccant per ipſum actum, ſed voluntate perſeverandi in prava conſuetudine, cùm de ea cogitantes non proponunt emendationem.

Objicies 2. Sequeretur eos, qui nullum ſentiunt ſcrupulum; non peccare. Atqui graviſſimi peccatores nullum ſcrupulum ſentiunt, juxta illud: *Impius cùm ad profundum venerit, contemnit.* Ergo &c. Reſpondeo. Diſtinguo Majorem. Si per ſcrupulum intelligatur dolor & anxietas & cruciatus in affectu, nego

nego Majorem: quia qui privantur tali ſenſu, pec- III.
cant. Si intelligatur lumen aliquod avertens à pec- PARS.
cato per oſtenſionem malitiæ, concedo Majorem: nam qui carent hoc lumine, non peccant, quia ſine illo peccatum non eſt voluntarium, nec liberum.

*Adjicit objectionem, quam ultimo loco ex P. Roſe retulimus de Peccatis occultis, ignoratis, non pungentibus; eodemque modo ſolvit.*

Dico 2. ad peccatum mortale riquiritur advertentia plena actualis malitiæ aut periculi illius. Hæc concluſio ferè probata manet ex ſuperiori. Nam 1. patet requiri advertentiam, quidquid dicant Novatores qui volunt ignorantiam invincibilem non excuſare à peccato &c.

Dico 3. Imò ad mortale requiritur etiam advertentia ad gravem malitiam. Probatur &c.

*Quamquam verò non expreſsè hoc loco tradatur dogma damnatum de peccato Philoſophico; hoc ipſum tamen docetur manifeſtè in principio illo generali. Si enim & cognitio malitiæ & advertentia eaque actualis & plena malitiæ moralis & naturæ rationali oppoſitæ excuſat ab omni peccato, adeòque à Philoſophico; ſi cui adſit ea cognitio malitiæ moralis & ad eandem actualis plenaque advertentia; deſitque cognitio malitiæ Theologicæ, aut actualis & plena ad eamdem advertentia, tunc peccatum quidem purè Philoſophicum admittet, Theologicum verò nequaquam, nec incurret in odium Dei, nec ab eo pœnæ æternæ addici poterit.*

## COLLEGIUM TREVIRENSE.

ANNO 1684. P. *Contzen Doctor Theologus Theologiæque in Trevirenſi Collegio Societatis Profeſſor Moralis Theologiæ tractationem aggreſſus eſt; in cujus* 1684.

III. Pars *jus Tractatu* 1. *art.* 2. *Qu.* 1. *multas refert Ignorantiæ diviſiones, quas inter numerat antecedentem & conſequentem. Antecedentem ab omni peccato excuſare aſſerit, eamque ob cauſam* appellatur, *inquit*, Juſta probabilis, eo quod ab omni jure probetur. Dicitur etiam invincibilis, quæ morali diligentia ſuperari non poteſt.

*Poſtmodum ad dignoſcendam probabilem ſeu antecedentem & invincibilem ignorantiam has figit regulas.* OBSERVA, *inquit*, regulas dignoſcendi ignorantiam probabilem 1. eſt Quando homo operans nihil prorſus dubitat de eo quod agit, ignorantia eſt involuntaria ac probabilis. 2. Idem judicium de eo qui adhibito ſufficienti ſtudio ſcientiam acquirere non potuit. 2. Quando quis rem aliquam neſcit quam tenetur ſcire, ſed nunquam de ea cogitavit: ignorantia eſt probabilis. 4. Qui dubitat aut ſcit ſe ad aliquid teneri, ſi adhibita morali diligentia adhuc ignorat, ignorantia adhuc erit invincibilis. *Quibus poſitis ſic pergit.*

Dico 1. Ignorantia tam facti, quam juris, ſi ſit antecedens, invincibilis, tollit omnem moralitatem actus, & operantem excuſat ab omni culpa. Ratio patet: quia cum affectus, quem talis ignorantia cauſat, nullo modo ſit præcognitus, conſequenter etiam nullatenus liber aut voluntarius erit.

*Cum verò Pater ille Contzen poſt traditam illam de Ignorantia Doctrinam extremum diem obiiſſet, in ejus locum ſucceſſit alter Jeſuita qui in Tractatu de Peccatis hæc inter alia docet.*

Dico 4. ad mortale requiritur plena & perfecta advertentia malitiæ vel periculi malitiæ, vel ſaltem expreſſa dubitatio peccati: tum quia ſine hac cenſetur homo laborare ignorantia invincibili, adeoque

pecca-

peccatum non eſt voluntarium. Falſum itaque eſt recens nonnullorum dogma de peccatis ignorantiæ. III. PARS.

## COLLEGIUM LUGDUNENSE.

*Anno* 1686. PATER DE SAINT LIGIER *in Lugdunenſi Jeſuitarum Collegio Theologiæ Profeſſor Philoſophiſmum diſertis verbis tradit, hacque præ cæteris ſingularia habet.* 1. *Quod in definitione peccati purè Philoſophici, hoc veluti eſſentiale ejus à Theologico diſcrimen adſcribit quod illud fiat,* CUM OMNI INADVERTENTIA AD DEI LEGEM. 2. *Quod intrepidè aſſerit,* QUODLIBET PHILOSOPHICUM GRAVE EST LEVIUS QUOLIBET THEOLOGICO. *Hinc vel minimum veniale Theologicum graviorem pœnam meretur, quam quodlibet Philoſophicum graviſſimum.* 3. *Expreſſis terminis contendit, contra nuperam Jeſuitarum cavillationem, quod* PECCATUM PURÈ PHILOSOPHICUM POSSIBILE EST; *ut videre eſt in ſubſequentibus ejus dictatis ex Tractatu de Peccatis. Sect. 1. ſubſect. 2. art. 1. excerptis.* 1686.

Art. 1. An, & quid ſit peccatum purè Philoſophicum? Concluſ. 1.

Peccatum purè Philoſophicum benè definitur: Actus liber cum advertentia ad diſconvenientiam cum natura rationali, & cum omni inadvertentia ad Dei legem. Eſt autem quæſtio de voce, An debeat vocari peccatum, vel ſimpliciter malum morale.

Concluſ. 2. Peccatum purè Philoſophicum poſſibile eſt, imò veroſimile illud aliquando, rariſſimè tamen, committi apud Barbaros.

Probatur: Quia fieri poteſt ut quis agat contra dictamen ſine ulla advertentia ad Deum ejuſque legem, ſeu quia non repugnat pro brevi tempore ignoran-

III. Pars norantia Dei invincibilis, ſive quia, eſto quòd repugnet, non repugnat, ut quis nullo modo advertat actu ad Deum ejusque legem, ſeu quia fieri poteſt ut Parochus nequam perſuadeat ruſtico aliquid eſſe malum, non tamen contra Deum; ſive quia tanta nonnullorum hebetudo eſt, ut veroſimile ſit eos non ſtatim poſt rationis uſum primùm cognoſcere Deum, licet ſciant malum eſſe furari.

Dices primò: Fieri non poteſt, ut quis ignoret eſſe Deum.

Reſp. fieri ſaltem poſſe ut quis non cogitet de Deo; quod mihi ſufficit. 2. Eſto, notum eſſet ex terminis Deum eſſe; fieri tamen poteſt ut ii termini per breve tempus menti non occurrant. Et addo opus eſſe diſcurſu, licet cuilibet facilè obvio, ut Deum cognoſcamus.

Dices 2. Ex Script. & PP. Deus impedit, ne quis ipſum ignoret dum peccat.

Reſp. Ea loca probare tantum Dei providentiam non permittere ut diu duret ignorantia Dei.

Concluſ. 3. Hujuſmodi peccatum eſt quidem grave vel leve pro materia; non tamen eſſet Dei offenſa, neque eſſet mortale dignum gravi Dei odio & pœnâ æternâ. Ita de Lugo, Arriaga &c. 1. pars liquet; quia homicidium Philoſophicum eſſet gravius levi mendacio, quia diſconvenientius.

Probatur 2. 1. quia ex D. Th. & ex omnibus, converſio ad creaturam ſine averſione à Deo non eſt peccatum mortale; ergo multò magis ſine advertentia ad Deum 2. quia vix poſſumus probare peccatum, quod eſt formalis Dei offenſa, mereri pœnam æternam, licet ſit contemptus Dei & averſio ab illo; ergo nullo ex capite probari poteſt peccatum Philoſophicum eſſe dignum pœnâ æternâ. Jam ad

ad ſolutionem objectionum in iſtam concluſionem. III. PARS.

Obſerva Primò, nunquam contingere inter fideles ut peccent, quin advertant ſaltem confusè ſe Deo diſplicere; quia aſſueti ſunt ſemper apprehendere peccatum ut divinæ legi contrarium, non verò ſub aliis rationibus. Si tamen in aliquo caſu moraliter impoſſibili Chriſtianus Philoſophicè tantùm peccaret, non peccaret mortaliter nec teneretur confiteri; imò minùs peccaret tunc per homicidium quàm cum advertentiâ ad Deum per mendacium; eſſet tamen malus malitiâ morali, ſed non mortali ac Theologicâ: eſſet objectum diſplicentiæ divinæ, quæ in Deo eſt neceſſaria reſpectu omnis mali moralis, non tamen inimicitiæ; non enim propriè loquendo Deum offenderet, ut patet in humanis.

Obſerva 2. Me fateri quod Barbari non poſſunt plenam de Dei lege habere ignorantiam: unde non poſſunt diu peccare Philoſophicè, quin & Theologicè peccent. Hinc ſatius eſt illis Deum prædicare, tum ob alias rationes, tum quia ſic à peccatis avocabuntur per cognitionem æternæ pœnæ. Denique potiùs optandum eſt, quàm timendum, ut peccent Philoſophicè, & non Theologicè.

Obſerva 3. Peccatum Philoſophicum aliud eſſe grave in ſuo genere ratione objecti, aliud leve; & grave diſplicere Deo graviter in ſuo ordine, nempe Philoſophicè, non tamen graviter Theologicè. Unde quodlibet peccatum Philoſophicum grave, eſt levius quolibet Theologico. Hinc vel minimum veniale Theologicum graviorem pœnam meretur quàm quolibet Philoſophicum graviſſimum; quia nullum Philoſophicum meretur æternam.

Obſerva 4. Quod dum Paulus & PP. dicunt, peccatum eſſe contra Dei legem, & omnes adulteros &c. damnari, ſupponunt id quod ferè ſemper contingit, ſcilicet homines peccare Theologicè.

Obſerva 5. Deum impedire, ſaltem ordinariè, ne

III. PARS. Barbari moriantur ſine notitia Dei; ſi tamen aliquis eorum moriatur cum ſolo originali & Philoſophico peccato, tunc gravi pœna temporali torquetur, tum ad limbos cum pueris deſcendit; quia hoc peccatum eſſet finitum & odio haberetur à Deo; non quod eſſet propriè contra ipſum, ſed quod eſſet malum morale, & quia Deo, utpotè judici & capiti Reipublicæ rationalis, neceſſariò malum morale diſplicet. Unde illud punit ſicut judex punit peccata contra ſe non admiſſa.

Obſerva 6. non eſſe neceſſariũ hanc circumſtantiam generalem, quod ſcilicet peccatum commiſſũ ſit cum advertentia ad Dei legem, in Confeſſione exprimere, quia ſatis intelligitur: nec enim contingit, ut jam dixi, ut fidelis advertat ad moralem malitiam, quin advertat ad Dei offenſam; quia utriuſque ſpecies in animo connexa ſunt.

Obſerva 7. Hunc actum quo dico, ſi homicidium non eſſet à Deo prohibitum ego te occiderem, poſſe ſpectari, vel præciſè ratione objecti, & ſic eſt tantum grave Philoſophicum; vel prout eſt graviter à Deo prohibitus, & ſic eſt mortale. Neque dicas eum non eſſe prohibitum, niſi propter objectum. Diſtinguo enim: non eſt prohibitus graviter niſi propter objectum fundamentaliter mortale, id eſt ut graviter dedecens, concedo: niſi propter objectum ut mortale formaliter, nego.

Obſerva 8. falſum eſſe id quod adverſarii dicunt, hoc ipſo, quod objectum ponitur ut malum grave, fieri voluntariam implicitè totam malitiam rei, ideoque etiam cum Dei ignorantia contrahi malitiam offenſæ divinæ: ſicut, inquiunt, qui ſe lubens projicit in puteum, cenſetur velle implicitè omnia quæ indè ſequuntur. Probatur id falſum eſſe, Primò quia ſequeretur nullum eſſe veniale circa materiam gravem: falſum conſequens. 2. Quia illud ſolum voluntarium eſt, quod ſaltem confusè cognoſcitur. Mitto alias

rationes

rationes, & ad exemplum allatum dico, ea ſolum III.
mala poſſe implicitè eſſe voluntaria illi homini quæ PARS.
confusè ſaltem apprehendit; qualis eſt, v. g. confractio brachii vel ſubmerſio; non verò ea quæ ne confusè quidem poterant apprehendi.

Neque dicas cum Oviedo quòd ſicut ad hoc ut actus ſit meritorius gloriæ ſufficit virtualis relatio in Deum incluſa in tendentia ad actum honeſtum; ſic ut ſit dignus pœna æterna non requiritur actualis Dei notitia.

Reſp. neg. paritatem, quia actus bonus mereretur gloriam v. g quia eſt factus ab amico & eſt ſupernaturalis: unde eſt evidens diſparitas.

Sequitur, diviſionem peccati actualis in Philoſophicum & Theologicum, ratione cognitionis diverſæ, eſſe bonam; quia ſit per membra vera, immediata, formaliter oppoſita, & adæquatè dividentia.

## COLLEGIUM CAMBERIENSE.

*Anno, ut putatur, eodem ſeu 1686. Camberienſis* 1686.
*Theologiæ Profeſſor in Societatis Collegio idem dogma fusè explicuit. Obſervandum porrò Profeſſorem iſtum non modò poſſibilitatem peccati purè Philoſophici ex profeſſo probare; ſed etiam aſſerere actu dari ejuſmodi peccata merè Philoſophica de quibus & plura ſingularia docet quæ in denuntiatione V. ſcitè obſervata ſunt. Sic igitur ille Philoſophiſta Philoſophizat in* Tract. de peccatis diſput. 2. q. 1. De peccato Philoſophico & Theologico.

Peccatum poteſt conſiderari quatenùs eſt malum purè morale & diſconvenientia cum regula rectæ rationis indicante & oſtendente deordinationem in actu: vel poteſt conſiderari quatenus eſt offenſa Dei: & tunc non eſt tantùm contra regulam rationis indicantem, ſed etiam contra eandem prout eſt imperans aut vetans aliquod objectum: quia actus vetitus habet oppo-

III. PARS. oppoſitionem cum lege divina poſitiva, aut etiam cum lege æterna. De utroque agimus.

Articul. 1. de peccato purè morali.

Præmitto 1. per peccatum purè morale ſeu Philoſophicum me intelligere actum in cujus objecto nulla apparet turpitudo, niſi illa quæ conſiſtit in oppoſitione cum natura rationali; adeò ut illud peccatum ſit tantùm contra regulam rationis dirigentem, quâ bonum vel malum cognoſcitur: qui enim ex hoc ſolo lumine operatur nullum agnoſcit ſuperiorem cujus imperium violetur.

Præmitto 2. Dari illud peccatum Philoſophicum: quia cum nihil ſit aliud quàm actus liber hominis vel Deum invincibiliter ignorantis, vel ad Deum vel ejus legem nullo modo advertentis, qui naturæ rationali adverſetur; certè talis actus poteſt dari. Nam ſi nullus eſſet Deus, adhuc homo exiſtens poſſet agere contra judicium rationis: tale enim peccatum eſſet tantum contra legem dirigenrem, non autem imperantem; quia tunc nullus agnoſceretur ſuperior præcipiens aut prohibens talem actum.

Difficultas jam eſt an illud peccatum poſſet dici mortale, & an eſſet offenſa Dei formaliter. Quoad primum certum eſt, quod ſi nomine peccati mortalis intelligatur illud quod affert mortem animæ, non poteſt dici mortale. Si verò intelligatur gravis deordinatio contra regulam rationis juxta prudentum æſtimationem, in eo ſenſu poteſt dici grave & mortale in genere peccati Philoſophici.

Dico primò. Peccatum Philoſophicum non eſſet offenſa Dei formaliter. Probatur primò. Poteſt ruſticus doceri ſtatim ab ipſo rationis uſu nullum eſſe Deum, & aliqua objecta eſſe turpia. Si operetur contra dictamen rationis, quo novit turpitudinem illorum objectorum, certè non operabitur contra legem æternam Dei, quam ignorat invincibiliter: Imò haberet errorem invincibilem contra illam, putans

tans eſſe chymeram Deum adſtruere., & conſequen- III. PARS.
ter legem illius. Ergo illa actio non eſſet formaliter offenſa Dei.

Probatur ſecundò. Ut offenſa Dei ſit formaliter talis debet eſſe voluntaria: Sed ignorantis invincibiliter Deum ac legem illius offenſa non poteſt eſſe voluntaria. Ergo &c. Confirmatur. Occidens hominem quem ignorat invincibiliter eſſe Patrem, facit formaliter homicidium; non tamen facit formaliter parricidium. Ergo ignorans invincibiliter Deum & ejus legem, operans tamen contra rationem, non peccat formaliter contra Deum. Probatur conſequentia. Ille ideò non eſt formaliter parricida, quia ſine cognitione & advertentia ad Patrem non poteſt eſſe formaliter Patris offenſa. Ergo etiam ſine advertentia ad Deum non poteſt eſſe formaliter offenſa Dei, ſed tantùm materialiter. Quia cum natura humana ſit quædam participatio naturæ Divinæ, qui unam offendit, offendit quoque materialiter alteram.

Objicies primò. Ibi eſt offenſa Dei formaliter ubi eſt indignatio & averſio in Deo propter ipſum peccatum. Atqui ex peccato purè morali eſt indignatio & averſio in Deo. Ergo &c. Probatur Major. Ibi eſt offenſa Dei formaliter ubi Deus habet jus indignandi quaſi ipſe offendatur. Sed hoc eſt &c. Ergo &c.

Reſpondeo negando utramque majorem: quia Deus non habet jus indignandi quaſi offendatur; ſed tantùm quatenus tale opus adverſatur rationi. Aliud enim eſt Deum improbare & odiſſe actionem malam & aliud ab actione mala offendi. Odit omnem actionem malam ſecundum proportionem malitiæ; non autem odit, nec poteſt odiſſe ut rem ſibi adverſantem, quæ de facto non adverſatur formaliter propter ignorantiam invincibilem vel nullam omnino advertentiam.

Inſtabis primò. Pæna à judice lata in eos qui aliquid fecerint poteſt incurri quamvis neſciatur eſſe lata

III. Pars lata. Ergo etiam poteſt eſſe formaliter offenſa quamvis neſciatur offendi formaliter.

Reſpondeo, quod ſi probari poſſet ignorantia legis & pœnæ latæ, pœna non poſſet infligi homini qui non poſuiſſet actionem ſi ſciviſſet illam eſſe prohibitam ſub tali pœna.

Inſtabis 2. Sicut filius propter crimina offendit Patrem formaliter, licet non advertat ad periculum incurrendi Patris indignationem, ita & peccans Philoſophicè offendit Deum formaliter, licet non advertat ad Deum ejuſque indignationem & legem.

Reſpondeo, quod licet filius non advertat ad Patrem, Pater tamen contra filium rationabiliter indignatur: & in hoc ſenſu dicitur Pater verè offenſus ob crimina filii, actio tamen filii non eſt formaliter offenſa Patris, ſicut eſſet ſi ſciens & ridens illam diſplicere Patri adhuc committeret illam malam actionem. Ita omnia peccata licet fiant cum ignorantia & inadvertentia inculpabili Divinæ offenſionis & indignationis, adhuc offendunt Deum, quia omnia ei diſplicent & dant cauſam juſtam indignationis; non tamen contrahunt in eo caſu malitiam formalem offenſæ Divinæ; quia hæc malitia non poteſt refundi in actum niſi cognoſcatur, cum ſine cognitione non poſſit eſſe voluntaria. Undè nego antecedens: & talis offenſa in prædicto caſu reſpectu Patris & Dei, erit tantùm materialis, non verò formalis.

Objicies 2. Deus ut autor naturæ poteſt juſtè conqueri de peccatore etiam invincibiliter ignorante, & eſſe vindex illius peccati. Ergo formaliter eſt offenſa Dei. Probatur antecedens. Tam illius poteſt eſſe vindex, quàm Pater poteſt eſſe vindex ſcelerum filii, licet ille peccaverit ſine formali advertentia ad offenſam patris.

Reſpondeo diſtinguendo Antecedens. Poteſt eſſe vindex ut peccati contra naturam rationalem admiſſi; concedo Antecedens: contra ſe admiſſi; nego Antecedens.

dens. Ad probationem ſimiliter dico Patrem poſſe punire filium ob peccatum contra rationem admiſſum; quia ad eum pertinet videre ne quid tale peccetur. Tamen non poteſt punire quaſi ſit formaliter offenſus. III PARS.

Inſtabis. Ut actus bonus ſit meritorius de condigno, non requiritur expreſſa ad Deum relatio, ſed ſufficit virtualis incluſa in tendentia ad objectum Honeſtum. Ergo ut actus malus ſit demeritorius, non requiritur expreſſa notitia oppoſitionis cum voluntate Dei, ſed ſufficit incluſa in cognitione oppoſitionis ad naturam rationalem. Conſequentia eſt certa: quia plus requiritur ad meritum, quàm ad demeritum.

Reſpondeo. Tranſeat Antecedens, de quo alibi; nihil tamen concludi; quia ſicut nihil mereretur de condigno qui honeſtè ageret cum ignorantia invincibili Dei, ita nec demereretur qui Deum ignoraret. Si tamen Deus cognoſcatur, actio bona erit meritoria, & mala erit demeritoria. Deindè nego paritatem, quia bonum ex natura ſua eſt referibile; offenſa autem non refertur ſimpliciter ex oppoſitione actus, ſed ex oppoſitione actus offendentis.

Objicies 3. Paulus 1. ad Corinth. agens de his qui excluduntur cœlo, ſolùm nominat fornicarios, adulteros &c. nec dicit quod illi debeant habere cognitionem offenſi Dei. Id quod etiam conſtat ex Patribus Deinde peccatores omnes vocantur prævaricatores.

Reſpondeo à Paulo & Patribus intelligi id quod ferè in omnibus peccantibus commune eſt, dari ſaltem in eis notitiam Dei cui homo advertit ſe diſplicere per peccatum.

Dico 2. Peccatum Philoſophicum non eſt condignum pœnâ æternâ. Probatur 1. Ille actus Philoſophicè tantùm malus non eſt averſio à Deo. Ergo &c. Probatur Antecedens. Tunc eſt averſio quando amor creaturæ eſt ſaltem interpretativè ſupra Deum. Sed ſine cognitione non poteſt creaturæ amor eſſe ſupra

Deum;

III. PARS. Deum; quia amor eſt eſſentialiter voluntarius, & repugnat amor unius ſupra aliud cum ignorantia invincibili alterius extremi. Quomodo enim fiet comparatio inter extrema, ſi illa ſunt incognita.

Dices eſſe averſionem ſeu aberrationem in eo quod ponitur impedimentum, ne ad Deum accedatur.

Sed contra. Primò non eſt impedimentum formaliter, cum non noſcatur ut tale, ſed ad ſummum materialiter. Contra 2. Cum peccato Philoſophico poteſt eſſe perfectus acceſſus, nempe amor ad Deum. Ergo illa aberratio non eſt impedimentum. Probatur Antecedens. Cum voluntate furandi centum (nummos) in ignorante Deum invincibiliter poteſt eſſe amor Dei perfectus, ſi ita ſit ille diſpoſitus, ut velit furtum contra rectam rationem, nollet tamen ſi ſciret à Deo prohibitum & ei diſplicere; quia eum ſic amat ut nullo modo velit ei diſplicere. Sed poteſt eſſe ita diſpoſitus, Ergo &c.

Probatur 2. Ut eſſet condignum pœna æterna, deberet eſſe offenſa ſaltem ſecundum quid infinita. Sed non eſt; Ergo &c. Probatur Minor; Gravitas offenſæ ſumitur à gravitate perſonæ quæ offenditur per cognitionem propoſita. Sed natura rationalis per cognitionem finitam repræſentata eſt ea ſolum quæ offenditur. Ergo eſt ea, unde debet peti gravitas; quæ proinde nihil habet unde fiat ſecundum quid infinita. Nam licet à parte rei ſit participatio legis æternæ, imò & quædam illius promulgatio; in ordine tamen ad determinandam offenſam perinde ſe habet ac ſi nullus eſſet Deus: quia ignorantia invincibilis excuſat ab eo omni quod ignoratur: hic autem ignoratur Lex Divina. Ergo non violatur formaliter.

Objicies primò. Qui ſe projicit in foveam v. g. eo ipſo ſe exponit omni eventui; ita ut quidquid ei mali poſtea contigerit ſit illi ſaltem implicitè voluntarium. Ergo qui cognoſcens peccatum eſſe quoddam grave malum contra rationem, illud tamen ad-

mittit

mittit, implicitè vult omnia mala quæ in peccato reperiuntur. Ergo ratio offenſæ Dei erit ei implicitè voluntaria, licet invincibiliter ignoret Deum, ideoque erit dignus pœnâ æternâ. III. PARS.

Reſpondeo primò. Nos loqui etiam caſu quo non eſſet Deus, & tunc non eſſet ejus offenſa.

Reſpondeo 2. Si ſe projiciens in foveam ad hoſtem fugiendum, quem putat eſſe alibi, certè non erit ei voluntarium incidere in hoſtem: ita ſi peccans Philoſophicè excludat omninò rationem offenſæ Dei ab eo actu, ea offenſa non poteſt dici ei voluntaria. Præterea, ea tantùm mala ſe projicienti poſſunt implicitè eſſe voluntaria, quæ ſaltem apprehendit confusè: illa autem quæ nec confusè poterant apprehendi & conſequenter quæ non venerunt in mentem, non poſſunt eſſe voluntaria, quia voluntarium non eſt ſine cognitione ſaltem implicitâ. Ita peccans in noſtro caſu, ſi purè invincibiliter de ea offenſa non cogitaverit, non erit illi voluntaria; & conſequenter nec dignus pœna æterna.

Inſtabis. Ratio offenſæ Dei non eſt quid ſeparabile à peccato purè morali. Ergo peccatum morale eſt offenſa Dei ſaltem implicitè.

Reſpondeo negando Antecedens, vel potius diſtinguendo. Offenſa Dei objectivè, materialiter & fundamentaliter ſumpta, non eſt ſeparabilis, concedo Antecedens: Formaliter ſumpta, nego. Unde colliges rationem offenſæ Dei eſſe tantùm circumſtantiam junctam peccato jam conſtituto.

Objicies 2. Illud peccatum eſſet gravius veniali facto à fideli. Ergo cùm veniale puniatur pœna temporali, Philoſophicum deberet puniri pœna æterna.

Diſtinguo Antecedens. Eſſet gravius materialiter & Philoſophicè, concedo Antecedens. Formaliter & Theologicè, nego Antecedens. Imò grave Philoſophicum quantumcùmque creſcat, nunquam æquabit

 minimum

III. PARS. minimum veniale Theologicum; quia ſunt diverſi ordinis. Qua verò pœna puniretur à Deo, non eſt noſtrum divinare.

Inſtabis. Deus magis odit grave Philoſophicum, quàm veniale Theologicum Ergo debet punire graviùs.

Reſpondeo diſtinguendo Antecedens. Magis odit in ratione offenſæ divinæ, nego Antecedens. In ratione peccati moralis concedo Antecedens. Unde qui peccaret contra rationem, eſſet quidem objectum divini odii ut moraliter malus, ſed non ut inimicus Dei: & conſequenter non eſſet objectum inimicitiæ divinæ, ſed tantum diſplicentiæ.

Quæres, cum requiratur advertentia ad Deum & ejus legem ut ſit peccatum Theologicum; an illa circumſtantia debeat explicari in confeſſione.

Reſpondeo non debere; quia non poteſt non eſſe talis advertentia in homine fideli. Imò vix eſt ullus infidelis in quo non ſit aliqua confuſa cognitio Dei & legis ejus ſi vixerit aliquamdiu: quam cognitionem appellat Tertullianus animæ à primordio dotem, quia innata aliquo modo & implantata homini eſt. Infidelis ergo cognoſcit implicitè ſe violare legem ſupremi alicujus Domini, quoties cognoſcit ſe moraliter malè agere, ideóque peccat mortaliter.

## COLLEGIUM DIVIONENSE.

### MONITUM.

1686. *Ea pars ſcriptorum famoſi hujus Ieſuitæ Franciſci Munier, quæ Philoſophicum peccatum attinet, jam diu eſt cum expectatur ab omnibus, ad eam nimirum publicandam Ieſuitis ipſis publica ſe olim ſponſione adſtringentibus. Sed fruſtra expectatur; cum emiſſa tenui illorum particula, eàque non nativo, ſed inverſo ordine diſpoſita, promiſſis ſuis ſe ſtetiſſe Philoſophiſtæ noſtri glorientur.*

*Iſta igitur pars in publicum meâ operâ nunc prodit: eâ certè ratione quâ rebus ſuis conducibiliorem ne excogitare quidem Ieſuitæ ipſi potuiſſent, cum quartam illam De infidelibus, ut vocant, inſtantiam, per quam ſalva ſibi omnia confidunt illi, non omiſerim; tametſi eam omittendi non levis ſubeſſet ratio. Cum enim ſeptem omninò partes ſcriptorum iſtorum exemplaria penes me habeam, quorum unum deſcriptum eſt ad diverſa trium Scholaſticorum apographa, duo ſolummodò inſtantiam illam continent. Ex quo non temerè ſuſpiceris, vel particulam illam de novo fuiſſe adjectam poſt natum de peccato Philoſophico diſſidium; vel eamdem, quam fortè in antiquis dictatis tradiderat Profeſſor, in poſterioribus ab eodem fuiſſe reſectam, creſcente, ut aſſolet, in docendo novo dogmate audacia.* III. PARS.

*Porrò adjectitia eſſe ejuſmodi de infidelibus verba, inde promptum erit cuique ſibi perſuadere, quod diverſæ ad unam eandemque objectionem inſtantiæ eidem ſubjectæ de eodem ac in ipſa objectione genere procedere ſolent: adeòque cum de Chriſtianis primaria illa objectio propoſita fuiſſet, de iiſdem omnino in ſubditis inſtantiis ſermo eſſe debuerat, uti revera eſt in aliis quinque: ſolâ quartâ de Chriſtianorum peccatis verba faciente.*

*Cæterùm quàm parum prodeſſe poſſit Philoſophiſtis effugium iſtud, quo Denuntiatoris ictus declinare ſe poſſe ſperant, abundè ab eodem demonſtratum eſt in ſuis ſcriptis; in quibus oſtendit tum ad Philoſophiſmi perniciem agnoſcendam ſufficere, ut vel* aliquamdiu *(quod ultro fatetur P. Munier) Deum legemque Dei poſſit infidelis aliquis ignorare; tum falsò atque inſulsè admodum jactari à Ieſuitis, nunquam ſe docuiſſe Philoſophicum peccatum à Theologico divelli ac ſeparari poſſe, niſi ex ſuppoſitione impoſſibili ac fictione casûs qui numquam actu contingere queat.*

Ex Tractatu de peccatis
Art. 1. de eſſentia peccati.

Suppono

III. PARS. Suppono primò, peccatum actuale, de quo hic agitur, ſtrictè & propriè ſumi pro actu humano aut quaſi actu moraliter malo & imputabili operanti; ita ut propter illum ſit dignus vituperio & pœnâ.

In omni peccato actuali duæ rationes reperiuntur.

Prima eſt, quod ſit malum morale.

Secunda eſt, quod ſit averſio à Deo & vera ejus offenſa. *Quæ duæ rationes diſtinctæ ſunt* : nam una eſt prior quàm altera & illam fundat, & *poſſunt ab invicem ſeparari* : Peccatum ſecundum primam rationem ſumptum repugnat naturæ rationali ut tali, & dicitur peccatum Philoſophicum; quia ſub eâ ratione conſideratur à Philoſophis moralibus etiam Ethnicis qui eam agnoverunt; de eoque ſic ſumpto ſic loquitur Aug. l. 5 ad Simplicianum qu. 2. ubi dicit: peccatum eſſe perverſitatem hominis, quà homo eſt.

Errat.

Peccatum juxta 2. rationem ſumptum repugnat legi Dei pro ſuo jure exigentis oppoſitum & illud prohibentis; & dicitur peccatum Theologicum, offenſa Dei vel injuria; quia ſub eâ ratione conſideratur tantum vel præcipuè à Theologis. Sic ſumptum definitur à S. Th. q. 71. a. 6. poſt Divum Aug. l. 22. contra Fauſtum cap. 27. Dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei.

Suppono 2. omne peccatum Philoſophicum, ſeu morale, eſſe contra legem Dei ſeu æternam, contra rectam rationem & contra naturam rationalem. Et hoc quidem certum eſt. At dubium eſt 1. utrum ejuſmodi peccatum formaliter & eſſentialiter conſtituatur per reſpectum illum ad legem & rationem, an verò per oppoſitionem cum natura rationali. 2. Utrum idem peccatum in materiâ gravi & mortali v.g. furtum & adulterium, eſſet peccatum mortale dignum pœnâ æternâ & privatione gratiæ Dei in iis qui Deum & legem æternam ignorarent, vel qui actu illam non conſiderarent : nam in eo caſu peccatum haberet

haberet rationem peccati, non verò offenſæ Dei. His III. PARS.
ſuppoſitis.

Dico primò. Peccatum Philoſophicum ſeu morale eſt actus humanus diſconveniens naturæ rationali & rectæ rationi.

Probatur. Peccatum Philoſophicum non conſtituitur formaliter & primario in ratione mali moralis per oppoſitionem cum lege æternâ, vel per præponderantiam oppoſitæ bonitatis, ſed per ſolam diſconvenientiam cum natura rationali prout diſcurſiva eſt & libera, & cum recta ratione. Ergo. Probatur Antecedens 1. quia cum peccatum formaliter & primario conſiſtat in oppoſitione tum cum primaria, radicali & remota, tum cum proxima regula actuum humanorum; primaria radicalis & remota illorum regula, ut oſtenſum eſt in tractatu de actibus humanis, non eſt lex æterna nec præponderantia illa oppoſita malitiæ, ſed natura rationalis ut rationalis eſt, id eſt, prout diſcurſiva eſt & libera; proxima verò eſt recta ratio.

2. Quia præcisâ vel non conceptâ lege æternâ, actus aliqui ſunt mali non præcisè, vel non conceptâ lege æterna actus odii Dei eſt malus. Neque enim ideo eſt malus quia Deus judicat & vult illum eſſe malum; ſed potiùs ideò Deus judicat & vult eſſe malum, quia eſt malus & diſconveniens naturæ rationali & rectæ rationi.

Dico 2. Peccatum Theologicum eſt tranſgreſſio libera divinæ legis.

Prima pars, Quod ſit tranſgreſſio legis Divinæ, patet ex dictis in Tractatu de actibus humanis.

Dico 3. Peccatum Philoſophicum in illo qui Deum vel omnino ignorat vel de Deo actu non cogitat, eſt grave peccatum, ſed non eſt offenſa Dei, neque peccatum mortale diſſolvens Dei amicitiam, neque æternâ pœnâ dignum.

Hæc Concluſio tres habet partes.

Prima pars, Quod ſit grave peccatum, probatur 1. quia

III. PARS. quia cum ille actus humanus ſit peccatum propriè dictum quia eſt rationi diſconveniens, etiamſi nullus eſſet Deus, adulterium, mendacium &c. eſſet rationi diſconveniens, quia eſſet aliquid quod deberet non fieri juxta rectam rationem, & naturam rationalem dedeceret. 2. Cum illud ſit verum peccatum quod habet quidditatem peccati ſublatâ cognitione Dei ac ejus offensâ; adulterium v. c. mendacium & alia ejuſmodi haberent totam quidditatem peccati quæ eſt diſconvenientia cum natura rationali & rectâ ratione.

Secunda pars; quod non ſit offenſa Dei, patet quia ſicut actus humanus nunquam eſt malus ſublatâ cognitione malitiæ, ſic nunquam eſt offenſa Dei, ſi non cognoſcatur eſſe offenſa Dei.

Tertia pars, quod non ſit peccatum mortale quæ eſt Leſſii l. 13. de attributis divinis c. 16. Cardinalis de Lugo tractatu de Incarnat. Diſp. 5. ſect. 5. ubi citat Divum Thomam Alenſem, Albertum, Richardum, Bonaventuram, Suarem & alios.

Probatur primò. Quia cum peccatum mortale, prout eſt diſtinctum à veniali, dicatur illud quod repugnat charitati & amori Dei ſuper omnia, quod privat hominem gratiâ & eſt dignum pœnâ æternâ: peccatum quod fieret cum invincibili Dei ignorantia non repugnaret charitati, non privaret hominem gratiâ, neque eſſet dignum pœnâ æternâ. Ergo &c. Probatur Antecedens 1. Non repugnat charitati; quia cum illud ex parte objecti non pugnet cum amore Dei ſuper omnia, quod ſtare poteſt cum actu amoris ſuper omnia, aliquis poſſet velle furari contra rationem, & tamen eſſe omninò paratus ad non furandum, ſi furtum diſpliceret Deo quem diligit ſuper omnia. 2. Non privaret hominem gratia, quia cum habitus charitatis & gratiæ non expellantur niſi per actum oppoſitum charitati; peccatum illud non eſt oppoſitum amori Dei ſuper omnia: Ergo non eſſet dignum pœnâ

pœnâ æternâ; quia cum tota ratio, cur peccatum mortale dignum ſit pœnâ æternâ, ſit vel quia continet gravem Dei contemptum, ratione cujus aliquam habet infinitatem incompenſabilem per ſatisfactionem finitam, vel quia tollit principium vitæ, quod eſt charitas: undè fit ut irreparabile maneat ab inimico, vel propter aliquid aliud, ejuſmodi peccatum commiſſum ſine cognitione Dei, non contineret ullum Dei contemptum neque tolleret habitum gratiæ. III. PARS.

Probatur 2. Quia ſi aliquod peccatum mortale eſſet, quod tamen non eſſet offenſa Dei, ſequeretur quod ratio offenſæ divinæ non eſſet circumſtantia generalis cujuſlibet peccati mortalis; atque ita quod explicandum eſſet in confeſſione peccatum eſſe cum actuali advertentia ad Deum & ad ejus legem.

Objicies primò; Si peccatum Philoſophicum in eo qui Deum vel omnino ignorat, vel de Deo actu non cogitat, non ſit offenſa Dei, & peccatum mortale, ſæpè Chriſtiani etiam multa & graviſſima committendo ſcelera, non peccarent mortaliter: falſum Conſequens, Ergo & Ant.

R. D. Maj., Metaphyſicè loquendo, concedo; moraliter, nego. quia moraliter fieri non poteſt ut aliquis Fidelis advertat ſe peccare contra rationem, quin advertat, ſaltem confusè, ſe peccare contra Deum; nam omnes Fideles ab initio ſolent apprehendere omnia peccata ut contraria legi Dei, non verò rationi, & ut veram offenſam. Metaphyſicè verò, fieri poteſt ut aliquis Fidelis ſine advertentia ulla ad Deum committat gravia peccata; licet hoc nunquam contingat, tumque non peccabit mortaliter.

Inſtabis primò. Si hoc eſſet, Confeſſarii in Confeſſione deberent omnes interrogare, an attendiſſent ad Dei offenſam. Deinde ſi quis commiſiſſet innumera adulteria & homicidia, Deum actu non cogitans, non teneretur ea confiteri, & ſic multi etiam ſceleratiſſimi dubitare poſſent, utrum tenerentur ſua peccata

III. PARS peccata confiteri. Item is, qui ſciens ſe peccare contra rationem, vellet furari, occidere, mœchari, & omne ſcelerum genus committere, minùs peccaret quàm is, qui cognoſcens Deum vellet furari unum nummum. Denique is, qui omnia illa crimina committeret, poſſet tamen manere amicus & filius Dei, dignus ejus amore & hæreditate. Abſurdum Conſequens; Ergo &c.

Reſp. diſtinguendo Majorem: Abſolutè & Metaphyſicè loquendo, & ſuppoſitâ illâ conditione; quæ eſt moraliter impoſſibilis; concedo: moraliter loquendo, nego.

Inſtabis 2. Is, qui ſic peccaret contra rationem, eſſet verè in ſe malus: Ergo &c.

Reſp. diſtinguendo Ant. Moraliter, concedo, Theologicè, nego. Quia eſſet malus malitiâ morali, non mortali.

Urgebis. Eſſet verè in ſe malus Theologicè, Ergo nulla ſolutio. Prob. Ant. Eſſet objectum odii divini, neque poſſet amari à Deo, qui non poteſt amare quod reverà eſt in ſe malum: Ergo &c.

Reſp. diſtinguendo Ant. Eſſet objectum odii diſplicentiæ, concedo; odii inimicitiæ, nego. Quia Deus illum odio haberet non ut inimicum; ſed ut malum moraliter.

Inſtabis 3. Ille, qui ſic peccaret contra rationem, Deum offenderet: Ergò &c.

R. N. Ant. Prob. Ant. offendere aliquem eſt dare illi rationabilem cauſam indignationis contra ipſum: ergo &c.

R. diſt. Ant. Eſt dare illi rationabilem cauſam indignationis propter contemptum aliquem & violationem debiti honoris, Concedo. Eſt dare quamlibet cauſam indignationis, Nego.

Inſtabis 4. Multi infideles qui habent ignorantiam invincibilem Dei ac divinæ legis, de Deo & divinâ lege nihil cogitando, multa ſcelera commit-

tentes,

tentes, nunquam mortaliter peccarent, nec infernum mererentur; & deberet dari quartus locus, ubi poſt judicium manerent, & ſatius eſſet illis non annuntiare Deum aut divinam legem: ſiquidem cum eâ cognitione graviter peccaturi ſunt, & damnabuntur: & ſine illâ non eſſent graviter peccaturi. Conſequens non debet admitti: ergo &c. Majoris prima & ſecunda pars patent: tertia eſt evidens, ire non poſſent in cælum aut in purgatorium, cum habeant peccatum originale, neque in Limbum cum multa, vel ſaltem aliqua habituri eſſent peccata actualia: neque in infernum; ſiquidem non haberent peccatum mortale.

III. Pars.

R. Negando ſequelam maj. quæ eſt de ſubjecto non ſupponente; quia ut docent communiter Theologi, cognitio aliqua Dei ut ſuperioris & prohibentis ea quæ mala ſunt, ita eſt hominibus inſita & innata, ut nemo quantumvis Barbarus & infidelis omnem de Deo & illius lege ignorantiam habeat, vel habere poſſit ſaltem diu. Nemo enim eſt, ut ait Tertullianus, qui naturaliter hac in re non ſit Chriſtianus; ideòque nullus Barbarus advertens malitiam moralem peccat, quin ſciat violari à ſe legem aliquam, & offendi ſupremum aliquem legiſlatorem, quem tamen ſolùm confusè cognoſcit.

Inſt. 5. ſublatâ omni advertentiâ ad Deum aut legem divinam homicidium eſt peccatum mortale. R. Nego Ant. Prob. Ant. Illud eſt peccatum mortale, quod eſt grave, Deoque diſplicet. Sed ſublatâ omni advertentiâ ad Deum aut legem divinam, homicidium eſt peccatum grave Deoque graviter diſplicet: ergo &c.

R. diſt. maj. Quod eſt grave gravitate Theologica in ratione offenſæ Dei, concedo. Gravitate purè morali, Nego.

Inſt. 6. Omne peccatum quod Deus graviter odit,

III. PARS. etiam vult punire pœnâ æternâ. Sed Deus graviter odit hujuſmodi peccatum. Ergo &c.

Reſp. Diſtinguendo Majorem. Si odit graviter in ratione offenſæ Dei, Concedo Majorem : ſi odit graviter gravitate purè morali, n. Maj. Diſtinguo pariter minorem, & nego Conſequentiam.

Urgebis. Deus vult punire pœnâ æternâ illud peccatum quod graviter odit gravitate morali : ergo nulla ſolutio. Reſp. Negando Ant. Pr. Ant. Deus vult punire illud peccatum majori pœna quàm velit punire multa peccata venialia, quæ poſſent ſuperare pœnam peccati Philoſophici.

Reſp. negando Ant. quia quamvis magis oderit illud peccatum quàm omne peccatum veniale, quod tamen nollet punire pœnâ æternâ, non repugnat tamen multa peccata venialia poſſe mereri majorem pœnam quàm unum aliquod hujuſmodi peccatum, quod non mereretur pœnam æternam.

Inſtabis 7. Si hujuſmodi peccatum non eſſet mortale, in omni peccato mortali eſſet duplex malitia ſeparabilis. Conſequens non debet admitti : ergo &c. Minor conſtat. Nam ratio offenſæ divinæ non eſſet generalis circumſtantia omnis peccati gravis, ſed haberet oppoſitionem cum charitate ac juſtitia.

R. Diſtinguendo Maj. Eſſet duplex malitia generalis, concedo, ſpecialis, nego; quia in omni peccato gravi, eſt multiplex malitia generalis; nam eſt contra charitatem, juſtitiam & gratitudinem, ſed eſt tantùm una malitia ſpecialis.

Inſtabis 8. omnia peccata mortalia in ratione peccati mortalis eſſent ejuſdem ſpeciei, quia ſunt mortalia tantum ut offenſæ: falſum conſequens, ergo &c.

R. Negando maj. quia omnia peccata mortalia conveniunt in ratione genericâ peccati gravis & divinæ offenſæ, ſpecie tamen differunt, quia ſunt offenſæ diverſæ.

COL-

## COLLEGIUM MOGUNTINUM III. PARS.

ANNO 1687. PATER HAAN *Societatis Ieſu S. Theol. Doctor & Profeſſor in univerſitate Moguntina, hæc habet in* Tractatu de Deo Uno & Trino, Diſp. 2 Sect. 2. §. 3. an de Dei exiſtentia dari poſſit ignorantia invincibilis. 1687.

Ex dictis, *inquit*, patet, Deum exiſtere eſſe notum quoad ſe. Suppono etiam ex dicendis, Dei exiſtentiam poſſe demonſtrari evidenter, ſaltem moraliter: Unde quæri poteſt, an invincibiliter ignorari poſſit Dei exiſtentia. Pro quo

Nota 1. Ignorantia invincibilis alicujus dicitur illa quæ humanâ diligentiâ nequit ſuperari. Eſt duplex, alia Phyſicè, quam homo nullâ diligentiâ poſſibili poteſt ſuperare. Alia moraliter, quam homo vincere non poteſt per adhibitam diligentiam quam tenetur adhibere, licet poſſet ſuperare, ſi adhiberet majorem diligentiam quàm eam ad quam tenetur. Ex quo patet quid ſit ignorantia moraliter vincibilis. Hæc duplex eſt; alia inculpabilis, quando ſcilicet homo non advertit eſſe obligationem inquirendi veritatem. Alia eſt culpabilis, quando homo advertit obligationem inquirendi veritatem, & non inquirit.

Nota 2. Ignorantia alia eſt poſitiva, quæ eſt error poſitivus, quo quis judicat & dicit: *non eſt Deus.* Alia eſt negativa, & eſt ſola negatio cognitionis Dei; ita ut quis non dicat poſitivè Deum non eſſe, ſed tantùm non habeat agnitionem Dei. Ignorantia poſitiva poteſt provenire vel à ratione intrinſeca, quæ ſuadeat Deum non eſſe, vel ab extrinſeca, v. g. Inſtructore docente non eſſe Deum. Utraque ignorantia poſitiva & negativa poteſt concipi eſſe brevi, vel longo tempore, in homine ſtupido, vel ingenioſo ad determinanda certa ab incertis.

Nota 3. Certum videri primò poſſe dari ignorantiam invincibilem, ſaltem ad tempus, in homine rudi,

pro-

III. PARS. provenientem ab extrinſeco Inſtructore Atheo. Ita Quiros Tract. 2. Diſput. 13. num. 15. Ratio eſt: poteſt dari ignorantia invincibilis aliarum veritatum eò quòd inſtructio proveniat ab extrinſeco: Ergo etiam hujus veritatis: *Deus eſt.* Tunc enim credetur, & invincibiliter ignorabitur, ſicut cum parocho creditur dicenti eſſe quatuor perſonas.

Certum eſt 2. dari poſſe ignorantiam vincibilem Dei. Talem habent athei, & impii, eo quod veritatem vel ſupprimant vel non indagent.

Certum eſt 3. poſſe infidelibus aliquando ad longum tempus non dari cogitationem de Deo, etiamſi antecedenter ſciant Deum eſſe, nec de hoc procedit quæſtio, nec etiam quæritur, an fieri poſſit, ut fidelis ſaltem grave peccatum committat, & tamen de Deo nihil cogitet, ſolutio ſpectat ad tractatum de peccatis. Etiamſi id aſſeras, non obſtat noſtræ quæſtioni quæ eſt, an poſſit dari ignorantia invincibilis poſitiva ex principio intrinſeco; & negativa, ſaltem ad breve tempus, & de prædicato Dei propriè ut explicavi §. 1. hujus Sectionis: *Notandum* 3.

Triplex eſt ſententia. 1. Docet non poſſe dari ignorantiam invincibilem in quocumque homine, etiam ad breve tempus. Ita Thomiſtæ conformiter ad ſuum principium, quo tenent obligari hominem primo inſtanti rationis ſe ad Deum convertere. Talis autem obligatio non poteſt conſiſtere cum invincibili Dei ignorantia. 2. Tenet poſſe etiam in rudioribus ad longum tempus, & per totam vitam ſtare ignorantiam Dei invincibilem. Ita Medina. 3. ait hominem poſſe, ubi ad rationis uſum pervenit, ad breve tempus, non tamen diu, ignorare invincibiliter. Ita Lugo.

Dico primò, Non poteſt dari poſitiva ignorantia invincibils Dei in quocumque homine, etiam ad breve tempus, ex principio intrinſeco. Eſt communis, prob. &c.

Dico 2.

Dico 2. In homine rudi videtur etiam ad longum tempus dari poſſe invincibilis ignorantia Dei negativa, Ita Quiros. Ratio eſt, quia exiſtentia Dei non eſt nota per ſe quoad nos. Ergo ut innoteſcat, requiritur diſcurſus. Atqui poteſt fieri ut homo rudis & ſtupidus hunc diſcurſum non habeat. Ergo &c. Minor prob. Tum quia poteſt fieri ut homo ſit tam ſtupidus ut faciliores veritates, licet ab inſtruente doceantur, non aſſequatur: tum quia xiſtentia Dei eſt à ſenſibus valde aliena, & connexio Dei cum creaturis, per quam devenitur in cognitionem Dei, non eſt ita obvia. Et licet exurgat aliquando cognitio de primo aliquo principio, poteſt fieri ut ſit tam confuſa, ut homo eam vel vix advertat, vel non cogitet de obligatione inquirendi. Ergo ignorantia erit invincibilis. III. PARS.

IDEM. P. HAAN *in* Tractatu De Virtute & Sacramento Pœnitentiæ, ſect. 2. De Objecto materiali §. 1. Quodnam ſit objectum Pœnitentiæ quoad actus fugæ & odii.

Quæres 2, *inquit*, an peccatum mortale ſit objectum materiale Pœnitentiæ, quod ita eſt commiſſum, ut advertens quidem eſſe contra rectam rationem, vel naturam rationalem ut talem, ignoraretur tamen invincibiliter eſſe offenſam Dei. v. g. ſi furatus eſſes ſummam notabilem advertens eſſe grave damnum proximi, & eſſe id furtum contra rectam rationem, invincibiliter tamen ignores eſſe offenſam Dei, an id furtum ſit materia pœnitentiæ. An tale peccatum mortale ſit poſſibile, non determino; ſpectat enim ad tractatum de peccatis.

Sed quidquid ſit de ea poſſibilitate, reſpondeo ad quæſtionem, tale peccatum non eſſe materiam Pœnitentiæ. Ratio eſt, quia ſuppoſitâ invincibili hac ignorantiâ, Deus non fuiſſet offenſus, Ergo de eo peccato per pœnitentiam dolere non poſſes. Patet conſequentia, nam pœnitentia dolet de peccatis, ut ſunt

III. PARS. ſunt offenſa Dei. Ergo ubi non eſt offenſa Dei, nec Deus offenſus eſt, non eſt locus pœnitentiæ. Probatur Antecedens primi enthimematis: nullo modo nec implicitè, nec explicitè, nec formaliter, nec virtualiter fuiſſet cognitum eſſe contra Deum, ut supponitur. Ergo per id Deus non fuiſſet offenſus. Probatur Conſequentia: malitia, quæ in peccato invincibiliter ignoratur, non committitur; nihil enim volitum quin cognitum. Ergo quod invincibiliter ignoratur eſſe offenſa Dei, non eſt offenſa Dei, nec eo Deus offenditur. Confirmatur. Pœnitentia eſt virtus ad alterum, ſcilicet Deum, cui intendit ſatisfacere ut deleatur peccatum quo offenſus eſt. Ergo ſi Deus offenſus non eſt, pœnam exigere non poteſt, nec erit quod deleat pœnitentia. Idem dicendum de peccato purè Philoſophico, quod fieret cum invincibili ignorantia.

Inſtabis; Tale peccatum mereretur pœnam æternam, Ergo de eo poſſet doleri. Reſpondeo negando Antecedens, non enim eſſet formalis offenſa Dei, adeòque non ſolveret amicitiam cum Deo. Ergo non eſt ratio cur Deus id puniret pœnâ damni vel ſensûs æternâ. Licet autem tale peccatum non poſſet retractari, ut Dei offenſa, adeòque non caderet ſub Pœnitentiam, ut hæc nunc ſumitur, tamen poteſt retractari, ac de eo doleri ut opponitur rectæ rationi.

## COLLEGIUM CAMBERIENSE.

1689. PATER SURRE *in Camberienſi Societatis Collegio Theologiæ Profeſſor anno* 1689. *eodem nimirum quo primùm denunciatum eſt impium Philophiſmi dogma, hoc ipſum tradebat diſcipulis ſuis ea perſpicuitate ac fiduciâ quâ major deſiderari non poſſit. Hæc ſcilicet habet in tractatu de peccatis.*

ARTICULUS VI. An diviſio peccati in Theologicum & Philoſophicum ſit bona?

Dico

Dico peccatum Philoſophicum eſt poſſibile; ideoque prædicta diviſio eſt bona. III. PARS

Probatur primò Non repugnat ignorantia invincibilis Dei ſaltem pro aliquo inſtanti, & præſertim in barbaris, & aliunde ſimul cum illa ignorantia poteſt componi dictamen rationis & fieri aliquid contra tale dictamen Atqui tunc committeretur peccatum Philoſophicum, quod eſt actio perpetrata contra dictamen rationis ſine advertentia ad legem divinam prohibentem talem actionem 2. Veriſimile eſt dari de facto peccata Philoſophica: ergo talia peccata ſunt poſſibilia. Probatur antecedens. Aliqui homines, inter barbaros præſertim, ſunt ita hebetes, ut credibile ſit illos non ſtatim poſt acquiſitum uſum rationis cognoſcere Deum: quo tempore poſſunt mentiri, & de facto mentiuntur contra dictamen rationis. Ergo dantur de facto peccata Philoſophica.

Dico 2. Peccatum Philoſophicum non eſt peccatum mortale, hoc eſt diſſolutivum amicitiæ Dei, dignum pœna æterna, & privatione gratiæ Dei; poteſt tamen eſſe peccatum grave ratione materiæ ſeu ſubjecti.

Probatur prima pars. Ideò peccatum quod dicitur mortale eſt diſſolutivum amicitiæ Dei, dignum pœna æterna, & privatione gratiæ habitualis, quia committitur cum advertentia ad Deum prohibentem ſub pœna gravis indignationis, quæ cum perfecta libertate committitur. Atqui peccatum Philoſophicum ſine tali advertentia committitur. Ergo &c.

Probatur 2. pars. Per peccatum grave ex parte materiæ & ſubjecti illud intelligitur quod commiſſum cum advertentia ad prohibitionem Dei eſſet mortale. Atqui multa ſunt peccata Philoſophica quæ ſi committerentur cum advertentia ad prohibitionem Dei eſſent mortalia, ut patet in adulterio & homicidio commiſſis ſine advertentia ad prohibitionem Dei. Ergo peccatum Philoſophicum poteſt eſſe grave

III. PARS. grave ex parte materiæ & ſubjecti, quamvis poſſit non eſſe grave per contemptum gravis indignationis Dei, quod convenit ſoli peccato mortali.

Dic 3. Quodlibet peccatum Philoſophicum eſt minus quocumque peccato veniali Theologico.

Probatur. Peccato Philoſophico offenditur creatura tantum. Peccato Theologico veniali offendiur Deus. Atqui plus eſt offendere Deum etiam in minimis, quàm offendere creaturas vel numero infinitas in maximis: quia dignitas Dei ſuperans infinitè creaturas omnes communicat peccato Theologico gravitatem incomparabiliter majorem eâ, quæ communicatur à dignitate creata peccato Philoſophica. Ergo &c.

Objicies. Sequeretur peccatum veniale Theologicum mereri pænam æternam in duratione: quia cum peccatum Philoſophicum poſſet ſemper dari gravius & gravius ideòque merens pœnam diuturniorem in infinitum; niſi peccatum veniale Theologicum mereatur pœnam æternam, dari poſſet peccatum Philoſohicum dignum majori pæna quam eſſet pæna debita peccato veniali Theologico; cum tamen peccatum majus ſit dignum majori pæna.

Reſpondeo peccatum theologicum veniale mereri pænam æternam levem, ut probat objectio; quamvis tamen ratione amicitiæ poſtulet ut non ita puniatur in amico.

Reſpondeo 2. dici poſſe deberi tantùm pœnam finitam in duratione peccato veniali Theologico. Ex quo ſequitur aliquod peccatum Philoſophicum dignum fore majori pœna quàm ſit ea quæ debebitur alicui veniali Theologico: quia quandò peccata ſunt diverſi ordinis, quantitas pœnæ non debet inferre quantitatem peccati.

## COLLEGIUM MASSILIENSE.

1689. *Inſtitutis fundatiſque ære publico apud Maſſiliam tribus Lectionibus Theologicis in gratiam Ieſuitarum, tranſ-*

*tranſactoque fundationis inſtrumento inter ipſos & urbicum Magiſtratum die Octobris XIII. an. 1689.* III. PARS.
*delectus eſt P. Beon, qui menſe proximè ſequenti publicas Lectiones auſpicaretur, inſignis videlicet Philoſophiſta, qui nihil priùs habuit, quàm ut infauſto peccati Philoſophici dogmate Diſcipulorum animos imbueret, nec illo quidem aut ullis involucris impedito, aut ullâ ſuppoſitione impoſſibili temperato, aut ad ſolam poſſibilem hypotheſim redacto; ſed quòd actu detur in aliquibus hominibus, puta pueris, rudibus, ſilvicolis, Barbaris &c. in aliis verò poſſit contingere ex multiplici capite. Hæc ſunt genuina ſinceri Philoſophiſtæ verba ex Dictatis eodem anno ſcriptis fideliter excerpta.*

*Ex Tract. P. Beon De Peccatis, Diſp. De Peccato formali.*

Dico primò. In omni peccato etiam materiali reperitur offenſa Dei, quæ in eo eſt, quòd fiat actio diſplicens Deo; quæ offenſa ſi advertitur, evadit formalis. Hìc jam quæritur, utrum aliquando offenſa non fiat formalis, ſeu utrum detur de facto aliquando peccatum Philoſophicum, hoc eſt actus pravus & de ſe diſplicens Deo; ita tamen ut diſplicentia ignoretur; ſive quia ignoratur Deus, ſive quia ignoratur quòd peccatum ei diſpliceat, ſive denique quòd non attendatur & ipſa diſplicentia. Quocirca alii alia reſpondent. Ego dico poſſe contingere ex duplici illo capite ut non evadat offenſa formalis, fiatque tantùm peccatum Philoſophicum non pertingens ad malitiam Theologici.

2 Inter Chriſtianos adultos reipſa non dari Philoſophicum tantùm; non eſſe tamen cur negetur dari in aliquibus hominibus, puta pueris, rudibus, ſilvicolis, barbaris &c.

## COLLEGIUM CAMBERIENSE.

*Anno 1690. quidam Theologiæ Profeſſor in Camberienſi* 1690.

*rienſi Societatis Ieſu Collegio ſubjecta hic de Philoſophico peccato dogmata docuit, dictavitque.*

*Ille igitur poſtquam peccatum mortale in contemptu Dei conſtituit, objectionem ſibi in hac verba proponit.*

*Eadem ſibi objicit P. Roſe in eodem Collegio Theol. Profeſſ. an. 1682 ut ſupra; eademq́ reſpondet.*

Dices Multa ſunt peccata mortalia, quæ talia ſunt ante & citra Dei prohibitionem, Ergo &c. Probatur Antecedens. Nam talia ſunt blaſphemia, inceſtus, & paria quæ ſunt mala per ſe & prohibita à Deo, non autem contra.

Reſpondeo negando Antecedens. Ad ejus probationem concedo peccata in objectione habere etiam ante Dei prohibitionem malitiam quamdam objectivam, ratione cujus non poſſunt rectè appeti; & ſi fiant liberè, habere malitiam formalem moralē, ex eo quod ſint facta liberè contra rationem. Ad hoc autem ut malitia poſſit dici mihi voluntaria, debeo advertere actu malitiam, & debeo actu cogitare me debere advertere malitiam; ut poſſim ea advertere. At nego habere illa peccata blaſphemiæ & inceſtus malitiam formalem; quia niſi eſſent à Deo prohibita, & niſi homines intuitu Dei tenerentur vitare, non cenſerentur Deum offendere illa committendo, ſed tantùm naturam ſuam dedecorare, & contra rectam rationem agere. Hinc ſi per impoſſibile Deus non eſſet, aut certè cederet ſuo jure, neque quidquam prohiberet, nullum eſſet peccatum mortale ex natura rei; ſed tantum ex conſcientia erronea, vel affectu æquivalente quo peccator diceret: Si eſſet Deus, illum offenderem: ſi Deus prohibuiſſet hoc, nihilominus facerem.

*Quippe, ut idem alibi ſcribit*, verum quidem nos teneri ſcire ea quæ ſunt juris naturalis quantum ad vitam noſtram rectè inſtituendam neceſſarium eſt; ſed falſum eſt eum peccare propriè & culpabiliter circa hanc obligationem qui eam penitus ignorat. Secus eſt, ſi ad eam advertat & non ponatur ſcire id quod tenetur ſcire. At tunc ignorantia non eſt invincibilis, ut per ſe patet.

COL-

## COLLEGIUM PICTAVIENSE. III. PARS.

*Circa initium hujus anni mortuo Patre Gueſté Theologiæ in Pictavienſi Societatis Collegio Profeſſore, in ejus locum ſucceſſit Pater du Bois, qui muneris ſui initium duxit à peccato Philoſophico, quod ſub involucro caſûs metaphyſici, ut incautos deludat, protulit. Nimirum jam Romanam cenſuram præſagiebant. Is Tract. de peccatis, ubi de peccato mortali, ut tale fiat, ex parte intellectus plenam rationis advertentiam requiri docet:* Quia *inquit* numquam eſt peccatum niſi adſit conſideratio divinæ offenſæ aut periculi ejus, quamvis non neceſſe ſit ut expreſsè agnoſcatur ſub ratione offenſæ mortalis: quia τὸ mortale dicit pœnam mortis: pœna autem eſt præter intentionem agentis; ſed tamen neceſſe eſt ad peccatum mortale, ut cognoſcatur in ratione offenſæ gravis in Deum: quia nullum eſt peccatum niſi ſit voluntarium .... & nullum peccatum grave, niſi ſit voluntarium ut grave. Atqui non eſt voluntarium ut peccatum & ut grave, niſi ejus advertatur malitia & gravitas. 1690.

*Probat in conſequentibus plenam eſſe debere advertentiam illam rationis ſuperioris, plenumque voluntatis conſenſum. Tum ſubjicit:* Peccatum mortale ideò formaliter eſſe peccatum mortale, quia liberum Dei contemptum formalem vel virtualem continet. *Vnde objectionibus reſpondens aſſerit.* Quod furta, blaſphemiæ & ſimilia quædam peccata ante Dei prohibitionem habent malitiam aliquam objectivam, quia non poſſunt rectè appeti; imò malitiam moralem, ſi liberè fiant; ſed non mortalem, quia per ea Deus non contemnitur, ſed tantùm natura rationalis dedecoratur. Quare dicuntur peccata Philoſophica, non Theologica.

Objic. 3. Contemnens rationem eo ipſo contemnit formaliter Deum. Ergo fruſtrà affertur diſcrimen peccati

III. PARS. peccati Philoſophici quod ſit contra rationem, & Theologici quod ſit contra legem Dei.

Reſp. Si quis in aliquo caſu metaphyſico, qui numquam contingit, abſque omni etiam virtuali Dei præcipientis aut prohibentis notitia furtum, adulterium, &c. committeret, peccaret quidem, inquiunt Leſſius, Henriquez, De Lugo, peccato gravi Philoſophico, ſed non mortali & Theologico. Illud autem peccatum Philoſophicum neque eſſet mortale, neque privaret hominem gratiâ, neque eſſet dignum pœnâ æternâ. Non eſſet mortale, quia poſſet ſtare cum amore Dei ſuper omnia.

*Fatetur etiam infra inde bene ſequi:* Eum qui furta, homicidia &c. committeret, Deum non actu cogitans, non peccaturum mortaliter . . . & hanc ſequelam poſito illo caſu metaphyſico moraliter impoſſibili, nihil habere abſurdi.

*Sed quam parum tutum ſit iſtud munimentum, in quo ſe recipit Philoſophiſta vel indè manifeſtum eſt, quod ipſa experientia Jeſuitarum conſtet infideles innumeros de Deo nihil unquam audiviſſe nec cogitaſſe quicquam. Quod enim P. Dubois oggerit,* Infideles duo nota habere 1. Confusè & in genere aliquod numen ſeu ſupremum terræ ac cœli Dominum. 2. Illud Numen eſſe peccatorum ultorem; *aut impium eſt, aut falſum ac ridiculum Illud enim aliquod numen quid aliud eſt quàm ipſe cacodæmon aut ſcelerati homines omnium criminum rei ac incentores, in quos Sacroſanctum Dei nomen impiè transfertur ab infidelibus. Deinde quicquid ſit de ignorantia Dei, quot, bone Deus! etiam fideles de Deo non cogitant dum criminibus indulgent, quot quantique nec ad malitiam formalis offenſæ Dei actu advertunt, nec Deum præſentem cogitant cum violentæ tentationi ultro ſuccumbunt.*

## COLLEGIUM MASSILIENSE.

1651. *Sub hujus anni exordium, cum jam ante quinque*

*menſes*

*menſes promulgatum fuiſſet Romanum Alexandri VIII* III. PARS.
*Decretum, quo infandum Philoſophiſmi dogma extinctum credebatur, hoc monſtrum in ſuo principio redivivum luci reſtituit illius apud Maſſilienſes parens P. Beon. Imò verò cum peccato Philoſophico aliud quid hoc dogmate magis perniciosſum induxit. Si enim verum eſt, imputabilitatem matiliæ materialis alicuius actus* IN EO FUNDARI QUOD FIAT EX COGNITIONE ILLIUS MALITIÆ, *jam duo ex iſto principio exurgunt dogmata: alterum imputabilitatem malitiæ Theologicæ fundari pariter in eo quod actus fiat ex illius malitiæ cognitione: ac proinde cum illa ignoratur vel non actu attenditur, non peccari Theologicè, ſed tantummodò Philoſophicè: ſi quidem malitiæ Philoſophicæ cognitio & advertentia non defuerit. Alterum verò quod illo principio continetur hoc eſt, nullo modo imputabilia eſſe quævis ſcelera, quantumvis immania ac portentoſa, ſi ſine cognitione malitiæ moralis ſeu Philoſophicæ committantur, ac proinde ne minimâ quidem pœnâ mulctari illa debere, neque æternâ, neque temporali. Cùm igitur intellexerit diſsignatus Maſſilienſium Epiſcopus peſſimam hanc doctrinam à Patre Beon, non modò poſt publicatam ejus damnationem rurſus in ſchola ſua traditam fuiſſe, ſed etiam in illa ſua retractatione non fuiſſe retractatam; ſe à Ieſuitis egregiè deluſum intelliget Epiſcopus.*

P. BEON *igitur* in Tract. 17. De Virtutibus & Vitiis in univerſum, Diſp. 2. *ubi* de actu vitioſo *hæc in eadem Scholá Maſſilienſi dictabat ſub initium hujus anni* 1691.

Actus vitioſus idem eſt cum malo ſive peccato. Jam actûs pravi duplex eſt malitia, materialis & formalis. Malitia materialis eſt diſſonantia actûs cum natura rationali: Formalis verò malitia eſt talis diſſonantiæ imputabilitas. Fundatur autem hæc imputabilitas 1. in turpitudine materiali. 2. In eo, quòd actus liberè fiat. 3. In eo quòd fiat ex cognitione malitiæ.

III. Pars.

## EJUSDEM P. BEON CONFESSIO AC RETRACTATIO.

1691. *Cum deſignatus Maſſilienſium Epiſcopus ex Scriptis publicis didiciſſet, Philoſophiſmum, ut ſuperiùs expoſitum eſt, à Patre Beon traditum eſſe in Novella ſua Theologiæ Schola, moleſtè admodùm tuliſſe dicitur tam pernicioſam hominis doctrinam; parumque abfuiſſe quin illum, ablato docendi munere, loco cedere compelleret. Ad mitiora tamen conſilia Ieſuitarum blanditiis adductus, eidem Patri Beon impium dogma ejurandi neceſſitatem impoſuit; quod & his facere viſus eſt 25. Iunii hujus anni 1691., hæc quæ ſubjicimus ſuis Auditoribus prælegens, dictatiſque interſerens. Quàm candidè ac ſincerè, Lector judicet. Hæc igitur habet in* Diſputatione De Peccatis & Vitiis contra charitatem. Cap. De Odio, Acedia & Invidia.

Quæres 2. An detur darive poſſit aliquod peccatum formale quod habens diſſonantiam cum natura rationali careat malitia offenſæ formalis divinæ ? Quod eſt idem ac ſi peteres, utrum detur darive poſſit peccatum purè Philoſophicum.

Reſpondeo primò, nuper damnatam eſſe ab Alexandro VIII. propoſitionem in hac materia verſantem, quæ ſic habet: "Peccatum Philoſophicum quantum-„vis grave in illo qui Deum ignorat, vel de Deo actu „non cogitat, eſt grave peccatum; ſed non eſt of-„fenſa Dei, neque æterna pœna dignum.

Reſp. 2. Ante damnationem hujus propoſitionis me obiter docuiſſe in Tract. De peccatis, Diſp. De peccato formali, peccatum Philoſophicum nullum quidem dari inter Chriſtianos adultos; videri tamen dari aliquod in aliquibus infidelibus pueris, iiſque rudibus abſque inſtitutione educatis inter ſilvas.

Reſp. 3. Quamvis hæc doctrina, ut attendenti apparet, multum differat, tum quod ad verba, tum quod

quod ad ſenſum à propoſitione damnata, excludat- III.
que conſequentias quæ putantur ex damnata deduci: Pars.
quamvis inſuper hæc eadem doctrina longè univerſaliùs tradita ſit à multis aliarum Scholarum Doctoribus, & in primis à celebri Victoria Thomiſtarum ſui ſæculi facilè Principe, illiſque viſa ſit fundamentum habere in Auguſtino Tom 9. in Joann. Tract. 106.

Quia tamen legendo ſcripta quæ ex occaſione hujus controverſiæ ab Autoribus noſtræ Societatis edita ſunt, intellexi eos judicare conformari magis Definitioni Pontificiæ illam ſententiam quæ omne peccatum Philoſophicum neget; ego iſtorum autoritati concedens, & communiora atque tutiora, prout ſoleo, eligens.

Reſp. 4. & dico, neque dari reipſa, neque pro præſenti providentia dari poſſe, ſive inter fideles, ſive inter infideles eoſque pueros vel adultiores ullum peccatum purè Philoſophicum; ſed omnem actum qui ſit formaliter naturæ rationali diſſonus, eſſe ſimul & ſemper formalem offenſam Dei: atque ita corrigenda ſunt, quæ citato loco dixi, & pro indictis habenda.

*Diſcutiant quorum intereſt hujuſmodi Retractationem: nobis hic monere ſufficit. 1. Omiſſus eſſe quæ certè omitti non debuerant, à P. Beon, Cenſuræ Romanæ, ut aiunt, qualificationes, nempe quod illam Divionenſium Ieſuitarum Theſim ſeu doctrinam Pontifex declaravit* ſcandaloſam, temerariam, piarum aurium offenſivam & erroneam. *2. De altero excerpto, ſeu de tradito poſt Decretum Pontificis Philoſophiſmi dogmate ſeu principio, nullam prorſus mentionem facit, ne dum illud retractat. 3. Fallit cum aſſerit ſolos infideles attinere quæ de Philoſophico peccato ipſe docuit. 4. Suam Doctrinam à damnata ſecernere conatur, ſed fruſtra. 5. Non iiſdem atque damnata conſequentiis ſuam ſubjacere falsò aſſerit 6. Alias Scholas ex tradito Philoſophiſmo infamare nititur. 7. Philoſophiſmum non*

III. PARS

*ut erroneum rejicit, ſed ut dogma minùs commune, minuſque (ſuo ſenſu) tutum. 8. à docendo tam pernicioſo dogmate abſtinet, non propter Epiſcoporum, Theologorum, bonorumque omnium indignationem; qua primum oppreſſum eſt infauſtum dogma; non propter autoritatem Pontificis ejuſque Decreti: hujus enim ne verbum quidem; ſed propter autoritatem Scriptorum Societatis quam ſolam velut fidei regulam unicè commendat.*

## COLLEGIUM LEMOVICENSE.

*Quo anno, non liquet.*

*Quis Theologus, quove anno hæc quæ ſubjicio diſcipulis ſcripta tradiderit reſcire non potui. At certè in Lemovicenſi Ieſuitarum collegio tradita ſunt in Tractatu, opinor, de peccatis.*

Articulus Quartus
De reatu pœnæ
Ob peccatum aliquod ſingulare.

Peccatum hoc ſingulare eſt peccatum illud quod vulgò dicitur Philoſophicum, ſeu ſit purè Philoſophicum, ſive non. Quæritur ergo quem pœnæ reatum mereatur; ſeu quod idem eſt, quam pœnam mereatur peccatum Philoſophicum. Explicatur. Peccatum aliud eſt Theologicum, per quod ſcienter ac liberè offenditur Deus, ab iis ſcilicet qui cognoſcunt aliquem in mundo Deum exiſtere, ac peccatum illi diſplicere. Aliud eſt Philoſophicum, per quod ſcienter ac liberè admittitur aliquid turpè ac naturæ rationali diſconveniens ſine ullo reſpectu ad Deum, qui vel ignoratur invincibiliter, vel ab operante nullo modo ac ne virtualiter quidem apprehenditur.

Reſpondent aliqui abſurdum eſſe ac propè impium exiſtimare ignorantiam de Deo invincibilem poſſe dari, etiam ad breve aliquod tempus, ac proinde peccatum Philoſophicum ſaltem eatenus eſſe impoſſibile. Sed contra ... quia judicium hoc paulò ſeveriùs fertur

tur de opinione illa quæ nec ab Eccleſia cenſurâ ullâ notatur, nec ſua item probabilitate caret, tum intrinſeca tum extrinſeca; ut probatum ſit ſupra ex recentiore Hiſpano (qui multos ac primæ etiam notæ Autores citat illi ſuffragantes) Quæſt. 8. Tract. de Deo, ubi & ipſe cum illis concludit dari poſſe ignorantiam omninò invincibilem Dei. 

Reſpondent alii, quamvis detur ignorantia de Deo invincibilis, non excuſare tamen illam à peccato Theologico, & contra Deum, licet ignotum, culpabiliter commiſſo. Ratio ipſorum eſt quia ignorantia juris naturalis, qualis eſt iſta, ſufficienter nobis voluntaria eſt in Adamo, ut quidquid conſequenter ad illam committimus nobis ad culpam imputetur ... Sed contra; quia ut ſupra oſtenſum eſt omnis ignorantia ſive facti, ſive juris, & ſive juris poſitivi, ſive naturalis, excuſat ſimpliciter à peccato. Et ratio eſt quia malitia objectiva nuſquam imputatur ad culpam, niſi prius & apprehendatur per intellectum & per voluntatem acceptetur: quæ duo eſſe prorſus nequeunt in ignorante.

Reſpondent alii. Etſi dari fortè poſſit invincibilis ignorantia Dei, tunc homines omnis omnino peccati fore incapaces. Ratio ipſorum eſt, quia omne peccatum eſt contra legem Dei, quam illi ſicut & Deum ignorarent. Ergo ſtante ignorantia Dei peccare illi non poſſent, nec de facto peccarent per incendia, homicidia, inceſtus, furta. Sed contra, quia etiam tunc eſſet illis proxima humanorum actuum regula, ſeu dictamen conſcientiæ per quod illi agnoſcerent turpitudinem ac malitiam objectivam plurimorum actuum; licet ignorarent illos à Deo vel per Dei legem eſſe prohibitos. Peccarent ergo illi occidendo parentes, diripiendo aliena, percutiendo, mentiendo, temperantiæ, juſtitiæ, caſtitatis, gratitudinis jura violando; at peccata hæc non eſſent Theologica ſeu ſcienter ac liberè commiſſa contra

III. PARS. Deum quem ignorarent. Ergo ſaltem eſſent Philoſophica; ſeu contra honeſtatem moralem & conſcientiam naturaliter reclamantem.

Reſpondent denique alii, fore quidem vera peccata in eo ſtatu in quo eſſet tum turpitudo, ſeu inordinatio objectiva, tum cognitio illius ſufficiens, tum etiam vera & propriè dicta libertas ad illam contra conſcientiæ dictamen eligendam; ſed negant peccata hæc pænam ullam mereri ſeu æternam, ſeu temporaneam: non æternam, quæ contemnenti Deum dumtaxat infligitur; tunc autem contemni nequit Deus, cum nequidem eſſe vel expreſsè, vel confusè intelligitur: non etiam temporaneam, ſaltem à Deo imponendam, quia non contrahit obligationem ad pœnam ullam à Deo ferendam; qui nequidem agnoſcit Deum eſſe ſummum criminum ultorem: at homo tunc non agnoſceret. Ergo.

Sed contra: tum quia ubicumque vera peccata ſunt, ibi obligatio contrahitur ad pœnam aliquam luendam; tum quia etſi Deus ſcelerum ultor non agnoſcatur diſtinctè, agnoſcitur tamen confusè non quidem exiſtere Deum, ſed pœnas repoſci ab aliquo poſſe ac debere malitiæ criminum convenientes, imò & hæc via quædam eſt quâ pervenitur ad notitiam Dei ut ſummi criminum etiam occultorum ultoris.

Ad quæſtionem autem propoſitam.

Reſpondeo 1. Impoſſibile eſt peccatum purè Philoſophicum. Probatur facilè: peccatum purè Philoſophicum eſt illud quod ſic liberè contra rectam rationem committitur, ut nullum habeat reſpectum ad Deum. Sed impoſſibile eſt tale peccatum. Ergo... Probatur minor: impoſſibile illud eſt, tum in his qui Deum ignorant invincibiliter, tum in iis quibus ſemel agnita fuit exiſtentia Dei. Ergo eſt ſimpliciter impoſſibile. Probatur Antecedens; ac primo quidem qui ſemel Deum agnovêre peccare numquam deinde poſſunt ſaltem graviter, quin illicò vel expreſsè, vel

vel confusè mentem feriat recordatio aliqua Dei, quamvis id aliquando fiat modo propriè inſenſibili; ſed peccata tunc nón ſunt purè Philoſophica utpote contra Deum verè commiſſa Ergo &c. 2. Qui Deum invincibiliter ignorant, etſi contra rectam rationem peccantes nullo modo cogitent de Deo, quem nondum agnoſcunt, non tamen ea peccata committunt quæ nullum habeant reſpectum ad Deum. Ergo non ſunt purè Philoſophica. Illa enim verè Deo diſplicent, verè Deum offendunt, verè illum ut violatæ rationis vindicem exaſperant, verè illa donec expiata ſint à Regno Cœlorum, in quod nihil intrat coinquinatum, etiam antea baptizatos excludunt. Falſum ergo eſt quod illa nullum habeant reſpectum ad Deum. Ergo &c. 

Reſpondeo 2. Peccatum quod dici ſolet Philoſophicum verè dignum eſt pœna tum ab hominibus tum à Deo etiam infligenda.

Probatur: Peccatum quod dici ſolet Philoſophicum eſt illud, quod licet multiplicem habeat reſpectum ad Deum ut dictum eſt ſupra, committitur tamen ab his, qui prorſus ignorant Deum: at peccatum illud verè dignum eſt pœna. Ergo. Probatur minor per iſta omnia axiomata. Omnis culpa meretur pœnam. Ubi delictum, ibi ſupplicium. Plectatur qui violat legem Neque adhoc requiritur ut qui peccat vel pœnam adjunctam ſciat, vel tribunal aut judicem, à quo donandus ſit, vel Circonſtantias alias. Per nihil enim excuſatur à pœna, ſi per nihil excuſetur à culpa . . . Confirmatur, quia tum homines verum jus haberent ad pœnam, tum etiam Deus: homines quidem ob bonum humanæ ſocietatis; Deus autem ut vindex violatæ rationis. Neque dicas, ignorantiam pœnæ à pœna aliquando excuſare, ut in cenſuris Eccleſiaſticis. Reſpondeo enim 1. Cenſuras incurri tantùm propter contumaciam, atque ideo ab ignorantibus non incurri. Reſpondeo 2. Peccan-

tes

III. PARS. tes in caſu de quo eſt quæſtio non ignorare, ſed hoc ipſo quód contra conſcientiam agant, fieri aliquâ pœnâ dignos. Ergo.

Reſpondeo 3. & præcipuè: Peccatum hoc idem quantumvis in materia gravi commiſſum, nec reatum inducit mortalis culpæ, nec pœnæ reatum æternæ. Ratio eſt, quia peccatum hoc, quod ab ignorante Deum committitur, non involvit contemptum Dei, ſed ſolus contemptus Dei reatum inducit mortalis culpæ, ac pœnæ reatum æternæ. Ergo.

Confirmatur: Quia peccatum hoc quantumvis in materia gravi commiſſum, etſi diſpliceat Deo, prout naturæ rationali diſconveniens, nullam tamen includit malitiam, quæ vel infinita ſit moraliter, vel altiſſimi ordinis eſſe cenſeatur. Ergo nec pœnam æternam meretur, nec infert mortem animæ privando illam gratiâ, ſi priùs eam per Baptiſmum & ex opere operato habuerit. Ergo nec reatum inducit mortalis culpæ, nec pœnæ reatum æternæ..... confirmatur 2. Quia cum dicitur eo majorem eſſe offenſam, quo major eſt dignitas perſonæ quæ offenditur, hoc intelligitur tantum de majori dignitate cognita illi qui offendit. Sed infinita Dei dignitas in iſto caſu nullo modo ac ne confusè quidem agnoſceretur ab eo qui peccaret cum ignorantia invincibili Dei, ergo per infinitam illam dignitatem, utpote ignotam, creſcere offenſa non poſſet.

Dices primò, abſurdum eſt, & velut quædam nova hæreſis, quod graviſſima crimina injuſtitiæ, v. g. homicidia, inceſtus &c. non ſint peccata. Sed tunc non eſſent. Ergo &c. Reſpondeo, diſtinguo Majorem. Abſurdum eſt graviſſima crimina cum ſufficienti cognitione commiſſa non eſſe peccata mortalia; Concedo: non eſſe mortalia defectu ſufficientis cognitionis, nego. Tunc autem deeſſet ſufficiens cognitio ad hoc ut eſſent mortalia, nempe cognitio Dei ac infinitæ illius Majeſtatis quæ per illa contemnitur, ac velut pro nihilo habetur.

Dices

Dices 2. Ergo reus mille graviſſimorum crimi- III. PARS.
num ſalvaretur, ſi antea baptizatus fuiſſet, ſed hoc eſt abſurdum. Ergo. Reſpondeo 1. diſtinguo Antecedens: Reus graviſſimorum criminum cum ſufficienti cognitione commiſſorum; nego. Sine cognitione ſufficienti, concedo.

Dices 3. eſt inauditum tot actus inordinatos non privare Gratiâ, ergo &c. Reſpondeo primò, tot actus cum ſufficienti notitia commiſſos, concedo. Aliter, nego. Reſpondeo 2. Plures ejuſmodi actus non committuntur ab eodem, quin per illos ad notitiam Dei ut ſummi criminum vindicis perveniatur, qui enim committit culpam etiam occultam, agnoſcit ſe pœna dignum, atque item agnoſcit illam non ab alio quam à perſpicaciſſimo quodam cordium inſpectore ſummoque criminum vindice, hoc eſt à Deo, infligendam. Ergo &c.

Dices 4. Sequeretur naturam hominis eſſe malè conſtitutam, ſi non agnoſceret eſſe tantam tot peccatorum malitiam, itemque Deum per illa offendi. Ergo. Reſpondeo: Diſtinguo Antecedens, ſi non agnoſceret per omnia individua, concedo: per aliqua tantùm, nego. Et verò non eſt malè conſtituta ex eo quod nec Infantes nec phrenetici, nec amentes eam malitiam cognoſcant.

Dices 5. Ergo melius eſſet ignorare Deum invincibiliter quàm Deum cognoſcere. Ergo &c. Ille enim non peccaret mortaliter, & ſalvaretur, ſi antea fuiſſet baptizatus; iſte autem peccaret & damnaretur. Ergo. ....Reſpondeo 1. Unde habetur quod iſte peccaret & damnaretur? Fortè enim ſi cognoſceret Deum liberè non peccaret & mereretur. Reſp. 2. melius hoc foret per ſe, nego; licet fortè melius hoc foret per accidens, ſicut ſæpè melius foret per accidens eſſe amentem, eſſe phreneticum &c. & melius fuiſſet Judæ ſi non natus eſſet homo ille.

Dices denique; doctrina hæc ſuſpecta eſt, dicere flagitia

III. PARS. flagitia propè innumera, eaque graviſſima ; puniri tantum à Deo pœna temporali. Ergo. Reſpondeo 1. longè magis ſuſpecta eſt doctrina oppoſita, quæ vult cum ignorantia invincibili objectivæ malitiæ, contẽptus Dei verè incurri reatum culpæ contemptus Dei, Reſpondeo 2. Suſpectum eſſe dicere talia flagitia ſine ſufficiente cognitione admiſſa puniri tantum pœna temporanea ipſis conveniente, nego : admiſſa cum ſufficienti cognitione,concedo.

Objicies autem contrà id quod dictum eſt,ſolum videlicet Dei contemptum voluntarium reatum inducere mortalis culpæ .... Si hoc ita eſſet, ſequeretur eum, cui nota quidem eſſet exiſtentia Dei ; ſed QUI TAMEN ACTU PECCANDO NULLATENUS DE DEO ACTU COGITARET non poſſe in eo caſu peccare mortaliter. Sed hoc eſt abſurdum. Ergo. Minor videtur certa : quis enim dicat illum cum hac inadvertentia inculpabili furantem, non eſſe mortaliter peccatum. Sequela autem majoris clara eſt; quia ille nullo modo contemnit Deum, ac proindè non peccat mortaliter, nam proinde ſe habet ad Deum, ac ſi neſciret eum exiſtere. Sed qui nullatenus actu de Deo cogitat, ita ſe habet. Ergo &c.

Reſpondeo primò Hanc hypotheſim valdè metaphyſicam eſſe, vixque umquam poſſe moraliter occurrere in praxi.Is enim cui ſemel agnita eſt exiſtentia Dei hoc ipſo quod de aliquo illicito agitur, recogitat ſummum illum legiſlatorem id prohibentem ; & licet vix ſe ipſum putet de Deo cogitare, confusè tamen implicitè ac virtualiter Deus menti occurrit dum ſummum aliquid apprehendit, unde horror ſceleris ac ſupplicii metus. . . . Reſpondeo tamen 2. Si fortè eveniat ita, ſimulque aliquis, qui Deum aliunde novit, objectum aliquod agnoſcat eſſe graviter contra rationem, neque ſimul tamen ullo modo, ne confusè quidem cogitet de Deo, propter hanc inadvertentiam non fore mortaliter peccaturum;ſicut

ſi

ſi prorsùs non adverteret ad objecti malitiam, nullo modo eſſet peccaturus. Neque enim magis in uno incommodum eſt, quàm in alio, quòd nimirum mortaliter non peccet, quia non cogitat de Deo, & quod nullo modo peccet, quia non cogitat de turpitudine objecti. Omnia enim peccata, quæ cum tali inadvertentia committerentur, non eſſent offenſæ Dei, ſaltem formaliter, id eſt, agnitæ ut tales; in quo tamen poſita eſt ratio peccati mortalis. III. Pars.

FINIS.